DE

HERACLITO EPHESIO

HÆC

APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM DISPUTABAT

LIONEL DAURIAC

Scholæ Normalis olim alumnus.

EDEBAT PARISIIS

C. KLINCKSIECK, BIBLIOPOLA

11, VIA DICTA DE LILLE, 11

—

MDCCCLXXVIII

DE

HERACLITO EPHESIO

VERSALIIS

EX TYPIS CERF ET FILII

59, VIA DICTA DU PLESSIS

DE

HERACLITO EPHESIO

HÆC

APUD FACULTATEM LITTERARUM PARISIENSEM DISPUTABAT

LIONEL DAURIAC

Scholæ Normalis olim alumnus.

EDEBAT PARISIIS

C. KLINCKSIECK, BIBLIOPOLA

11, VIA DICTA DE LILLE, 11

MDCCCLXXVIII

MAGISTRO SUO

J. LACHELIER

IN SCHOLA NORMALI OLIM PROFESSORI

NUNC IN ACADEMIA PARISIENSI INSPECTORI

GRATI ET DEVOTI ANIMI HOC PIGNUS

D. D. D.

REVERENTISSIMUS

AUCTOR.

CAPUT I

PROŒMIUM : DE HERACLITEÆ PHILOSOPHIÆ FONTIBUS

Heracliti Ephesii doctrinam illustrare aggredientibus non inutile videtur, quibus ex auctoribus instituta viri in claram lucem collocare liceat, inquirere ; horum quidem non exiguus est numerus, pauciores vero sunt illi quos ut auctoritate præstantissimos, fidissimosque interpretes in testimonium vocare audeam. Sed, ut plerumque accidit, ubi certa desunt testimonia, non supervacaneum est cunctos singillatim scriptores pervolvere ac, quoties inter diversos similitudo quædam invenitur, ea quæ similibus verbis enuntiaverunt, sin minus vera, at saltem veritati proxima existimare. Atque nobis sic esse agendum putamus, qui si, in hoc opusculo, Platonem solum secuti essemus atque Aristotelem, dubia sane nonnulla nec satis alia cum aliis consonantia hausissemus ; fuit tamen, quum Cratylus floreret, Platonem inter atque Ephesii discipulos commercium atque societas, nec ipsi Aristoteli non innotescere debuerunt philosophi nostri scripta. Nunc autem quot et quales sint illi qui apud veteres de Heraclito

fecere mentionem videamus, et, quantum fieri possit, quanti cujusque valeat auctoritas, perpendamus.

1° *De Hippocrate* (anno ante Christum 460) primum videndum nobis est, qui traditur Ephesii vestigiis institisse; nec quemquam præterit, non modo medicos inter, sed etiam philosophos, illum esse annumerandum. Hippocratis nempe in opusculo qui *de Alimentis* inscribitur heracliteam vocem ab aliis sæpe relatam, reperire est quæ fidem nobis facit, ionici physici libro ionicum studuisse medicum. Est etiam opusculum aliud *de Diæta* inscriptum cujus auctor videtur Heraclitea disciplina eruditissimus; auctor vero quis fuerit, utrum Hippocrates an potius Hippocratis assectator quidam post Aristotelem natus, critici certant neque in nobis est liti finem imponere. Libellum tamen illum, quicumque est, non dedignabimur, non tam ut heraclitea verba nos ex illo deprompturos esse speremus, sed multa esse inventuros Ephesium odorem vere redolentia.

2° Ad *Platonem* venio cui persæpe cum *Heraclitisantibus* in dialogis res est. Protagoram enim sibi vult in Theæteto esse confutandum qui singulari subtilitate atque acutissimo ingenio Heracliti doctrinam, ut suam, explicabat et interpretabatur, atque juvenes illos, quibuscum divus colloquitur Socrates, sophistarum exemplo, nihil intelligentes esse, miramur, nisi perpetuum motum et infinitam mutationem; totus quidem in his Heraclitus est. Protagoras vero scientiam omnem in sensu collocabat atque inde hominem concludebat rerum omnium esse mensuram. Hæc autem, si Heraclito coram sophista disse-

ruisset, discipulum agnoscere noluisset Ephesius universarum rerum scientiam esse denegantem. Videamus ex his quanta prudentia Platonem legere deceat, quum de ionico nostro agitur. Fatebimur tamen in *Cratylo* distinctam satis atque lucidam effigiem viri expressam fuisse, veramque heraclitei ignis naturam esse adumbratam ; agnoscemus etiam citandum esse *Philebi* locum de omnium rerum fuga atque instabilitate, nec obliviscemur in *Sophista* heracliteæ doctrinæ principia cum Empedoclis disciplina in certamen deduci ; sed utrum hoc verbo *Ionicæ Musæ* Ephesium an potius Ephesii fautores Plato designaverit, ad dubitandum adducimur.

3° Etsi in *Aristotelem* persæpe invectus fuerit Schleiermacherus, a quo Ephesii disciplinam libenter adulteratam esse conjicit atque in deterius immutatam, nos tamen Stagiritæ locos ut auctoritatis locupletissimæ laudandos esse asserimus, qui diligentissimus ac fidissimus veterum philosophorum testis fere ab omnibus semper habitus sit ; illius autem in manibus fuerint necne Ephesii nostri scripta difficile dictu est, paucissimas enim voces ex Aristotelicis libris excerpere est ionico philosopho jure tribuendas; sed, quum nunquam aut propemodum nunquam Heraclitum ipsum in scenam induxerit, illius sæpissime mentionem injicit, et quæ illi fuerint principia doctrinæ, nonnullis in diversorum operum locis commemorat. Atque ut Germano critico concedamus, Aristotelem inter ac Platonem manifestam inesse repugnantiam in iis quæ ad Heraclitum spectant, peripateticos sane locos inter se discrepare negabimus nec quatenus alia cum aliis consonent

arduum foret ostendere. Huc accedit discrimen inter magistros, incautamque discipulorum cohortem, in *Metaphysicis* ab Aristotele adumbrari neque magistrum fefellisse quæ propria Heraclito fuerit ac peculiaris disciplina; Stagiritæ tamen pace dixerimus illum, erga Ephesium paulo severius, de contrariis doctrinam judicavisse atque hanc ut falsam et prope absurdam rejecisse; Aristotelis vero error est non tam in illis quæ ut heraclitea retulit, quam in his quæ ut a philosopho nostro vere cogitata debeant haberi; hoc cæteroquin alio loco fusius disserendum est.

4° *Plutarchus* Aristoteli propior est cæteris, si ætatis atque temporis rationem consideremus; floruit tamen Cheronensis auctor quarto post Aristotelem mortuum sæculo, atque Ephesii physici doctrinam, qualemha nc Stoïcorum cœtus interpretabatur, ex Stoïcorum ipsorum libris potuit accipere. Exstant nihilominus apud illum loci complures qui nos ad conjiciendum impellant, Heracliti ipsius excerpta quædam Plutarchi oculis subjecta fuisse; nec mirum, stoïcos enim constat universam de naturalibus rationem ex Heracliteis hausisse fontibus. Cæterum eadem sæpe a Plutarcho referuntur quæ Platonem retulisse patet atque Aristotelem; loci vero omnes in quibus nos edocet, quæ de incorrupta ignis natura, de periodicis mundi incendiis, de siderum atque astrorum natura physicus noster disseruerit, si minus ut certa, at saltem ut probabilia testimonia possunt haberi, quæ diversis excerpta opusculis si tibi placeat in unum colligere, omnia illa congruere inter se animadvertas. Sed quum in eis quæ ad disciplinæ fundamenta spectant probandus esse testis

Plutarchus videatur, eumdem sæpius in incerto manere fatebimur quoties singularum rerum ordine crescentium atque pereuntium generationem vel extenuationem (quæ Heraclito visa fuerit) explicare tentat.

5° Inter Stoïcos quibus præcipuæ Ephesii sententiæ innotuerunt *M. Antoninus* eminet, romanus imperator (anno post Christ. 121). Pauca vero sunt, quæ in sapientissimi atque prudentissimi viri scriptis e physico nostro deprompta legere est. Sed nos ad M. Antoninum respicere decet si heracliteam sententiam de cunctarum rerum quæ in mundo cernuntur ordine ac consensu velimus illustrare; atque etiam lucide satis et distincte nos monet idem, totam Heracliti esse, quam toties in libris stoïcorum schola celebravit, universarum rerum, Statis temporibus, consumptionem et abolitionem.

6° Quod ad *Laertium* attinet, non asserere audeam illum heracliteis placitis studuisse diligenter, qui historiarum potius fabulator quam doctrinarum fidus interpres nec immerito habeatur. Is nempe quum de Heracliti vita disserit, commentitia persæpe veris admiscet, nec dubitat insulsis propemodum atque absurdis fidem adhibere; conversus autem ad doctrinam, credibilia magis et verisimilia tradit, conjecturaque ad suspicandum ducimur Ephesii nostri instituta, Plutarcho duce, in cognitionem venisse Laertio; sunt tamen quædam apud Diogenem, de quibus nulla mentio in Plutarchi libris invenitur; sed nemo ignorat Cheronensis opus minime integrum ad nos pervenisse; conjecturam itaque nostram probabilem duntaxat esse arbitramur.

7° Heracliti nostri persæpe mentio incidit in libris ab Alexandrinæ Scholæ sectatoribus conscriptis. Hos inter *Plotinus* eminet qui de igni principis essentia, pauca subjicit, Alexandrinas potius quam ionicas voces resonantia. Est quidem vetus atque usitata consuetudo, in veterum rationibus indagandis, novorum platonicorum testimonia ut incerta atque etiam ficta rejicere; nec nobis in animo erit ab illa consuetudine discedere qui, quum ad Alexandrinos confugerimus, obscuras nec unquam liquidas de physici nostri institutis sententias invenerimus: quanquam non ignoramus, germanum hominem, Lassallium nomine, atque inter subtiles subtilissimum, Plotino, cæterisque ejusdem doctrinæ coryphæis ducibus, Heraclitum, de metaphysicis rebus fuisse interpretatum : in Lassallium vero mox, facientes iter, incidemus, et ea quæ defendit homo pugnabimus, ac, si Diis placet, rejiciemus. Unus autem ex Alexandrino cœtu philosophus adulterationis crimine non immerito purgabitur; de *Clemente* loquor qui quum exarabat librum, *Stromata* vulgo inscriptum, veterum cogitata philosophorum litteris mandare, ad litteram excerpta gaudebat; deambulans enim semper ille delectatur, in antiquorum sapientium hortis, huc vagatur atque illuc, florem hunc atque illum decerpit, non ita tamen ut decerptos flores fasciculum in unum cogere gestiat. Fuit igitur Clemens sententiarum quasi exactor quæ superioribus fuerunt philosophis nec illi defuisse opinabimur curiosam in colligendo sedulitatem. Inveniuntur enim apud illum complures de Heraclito sententiæ, quum numero non exiguæ,

tum etiam propter verborum rerumque vim atque pondus, minime despiciendæ; quæ Nostro fuerunt institutorum principia, et ipse Clemens novisse videtur atque intellexisse, atque omnia quibus nos de æterna mundi natura, de universa quæ creatas atque ordinatas res ratione penetrat, certiores facit, illa conjicimus heracliteam sonare orationem; Clemens vero princeps inter cunctos nobis habebitur quum ad illustrandam venerimus Ephesii disciplinæ partem quæ ad singularum rerum ordine genitarum continuationem seriemque pertinet.

8° Floruit tertio post Christum sæculo, Scepticos inter celeberrimos mathematicorum virorum obtrectator atque logicorum *Sextus*, cognomine Empiricus, cui locus quidem nullus non assignari potest, inter Heracliteæ disciplinæ fautores; Socraticis enim temporibus, Protagoras sophistarum princeps, Ephesium physicum, ut suarum opinionum ducem et doctrinæ magistrum propalam sequebatur; scepticis autem qui novam Academiam instauraverunt, nonnulla quædam est cum sophistis affinitas, atque illis propter hoc Heraclitus ante omnia carissimus esse debuit, ac fuit, si vera fama est qua fertur Ænesidemus Heracliti dogmata discipulis coram explicuisse. Utrum recte an perperam, Ephesium ut doctrinæ suæ parentem sophistæ agnoverint atque sceptici, infra disseremus; sed nunc satis erit quanta scepticis erga Nostrum apud veteres admiratio fuerit, commemorare. Ac, ut de Sexto loquamur, minime negandum esse arbitramur, quamdam illi venisse philosophi nostri cognitionem; in dubio tamen erit quin Heraclitum ex Heraclito noverit, nec potius

Aristotelica fragmenta ad Ephesium spectantia collegerit (ut censet Schleiermacherus, qui primus inter recentiores, universam Ephesii disciplinam litteris illustrandam esse curavit). Attamen ex Empirico sententiam depromere est vere heracliteam, ut opinor, quam frustra reperias in iis quæ nunc supersunt Stagiritæ philosophi operibus.

9° Anno circiter post Christum 220, *Hippolytus* quidam florebat, christianæ defensor religionis, inexpiabilique odio contra hæreticos accensus, librum exarabat ad confutandum errorem. Hoc scilicet in libro, multa legere est Heracliteis excerpta sententiis neque ab illis discrepantia quæ superiorum temporum auctores posteritatis memoriæ commendaverunt. Nec opiniones solum sed etiam Ephesii ipsius voces sæpe referuntur ; utrum fuerint á Nostro, ut citantur, enuntiatæ, vix affirmare queam ; verborum autem sensus nec verba solum ad rem pertinere arbitramur, neque nobis in mentem ea negligere veniet quæ ab Hippolyto memorata repererimus. Is enim est quo duce atque auctore, in clariorem possit lucem proferri, vera philosophi nostri de contrariorum paritate doctrina ; idem etiam, quæ de communi ratione censuerit Heraclitus, satis aperte intelligit. Ex his sequitur, diligentes inter heracliteorum dogmatum indagatores Hippolytum annumerari.

Quod si cæteros memorarem omnes qui de Heraclito fecere mentionem, longior sane foret oratio nostra, neque amplius in animo nobis est quæstionem hanc tractare. Omisimus quidem Simplicium, Alexandrum atque Philoponum Joannem quibus io-

nicorum innotuerunt disciplinæ; has autem fere omnes noverunt, Aristotele duce, cujus libros attentissima cura explicuerunt ac fuerunt interpretati; tota igitur Aristotelis esse opinabimur, ex Heracliteis deprompta libris, quæ apud illos fragmenta invenerimus. Quod ad Eusebium spectat Origenemque, Plutarchum, ut videtur, secuti sunt; illorumque eadem auctoritas est quæ fuit Plutarcho. Auctores denique illos qui latino sermone usi sunt, atque inter hos M. Tullium, Stoïcorum interpretationem accepisse arbitramur.

Ex his concluditur, Heracliti philosophi doctrinam, per multa sæcula, conditori suo superfuisse, neque parum illius famæ Stoïcorum sectam contulisse, quos quum propria sibi heraclitea facerent instituta, vera genuinaque magistri verba et voces in scriptis, protulisse conjicimus. At quæ referebant, non referebant modo, sed etiam interpretabantur atque interdum in deterius adulterabant; inde fit ut nunc diversi inter se consentiant auctores, nunc autem propalam inter se repugnent. Hic enim ex stoïco fonte heracliteum aliquid haurit, ille vero Heraclitum quærens in stoïcum quemdam incidit Heracliti commentatorem, commentariaque in Ephesium composita ut vere heraclitea refert. Atque excepto quidem Aristotele, nullum, ne Platonem quidem, erroris genus istud effugisse affirmem; nam antequam philosopharentur stoïci, philosophatos fuisse Protagoram Cratylumque recordamur, infidos Heracliti magistri interpretes et quasi proditores. Stoïcos tamen Cratylo sophistisque in illustrandis viri institutis anteponendos esse censemus, qui non modo

logicis sed etiam physicis studuere rationibus quibusque carum fuit non tam subtilia meditari quam certa et vera cogitare. Ephesii doctrinam corruperint ac licet inviti mutaverint, concedo, sed inviti mutaverunt. Hos igitur duces eligemus, quod quum fecerimus, nos ab omni reprehensione liberos speramus futuros esse ; Plutarchum enim quem citerioris ætatis complures secutos esse opinamur, Stoïcorum et ipsum conjicimus vestigiis institisse. Ne vero necessitatem hanc moleste feramus : nam ni Stoïci fuissent, unus maneret Aristoteles heracliteæ doctrinæ testis ; sed, ut vulgo dicitur, testis unus, testis nullus.

CAPUT II

DE HERACLITI VITA AC VIVENDI RATIONE

I. Heraclitus patre Blysone vel, ut quibusdam placuit, Heraconte Ephesi natus est[1]. Laertius eum circa Olympiadem sexagesimam, Eusebius vero Syncellusque circa octogesimam, esse philosophatum existimant. Hermodorus quippe, ionico philosopho amicissimus, Epheso pulsus, anno circiter 479, decemvirorum laboribus interfuit, atque propter hoc, philosophum nostrum conjici potest quinto ante Christum sæculo doctrinam exaravisse. Laertius autem, cujus in sermonem Hermodori mentio incidit[2], litteras in libro suo transcriptas esse curavit, quibus Heraclitum inter constat Magnumque Regem, Hystaspis filium, epistolarum quoddam commercium exstitisse; in his enim Ephesium Darius invitat, ut ad se in Persidem veniat philosophica Græcorum explanaturus instituta; sed Noster, regii splendoris quam maxime contemptor, se nunquam in Persarum

[1] Cf. Diog. Laert., ix, 1.
[2] Cf. Diog. Laert., ix, 2.

regionem pedes esse positurum respondit. Fictæ vero fuerint an veræ litteræ, dubium est : ac de illis solum loquimur quas apud Laertium legere est; nam cæteros ne ionico quidem sermone composuerunt adulteratores. Illud autem gravioris est auctoritatis. Epicharmus enim Heraclitum in carminibus nominat, qui jam in Sicilia clarus habebatur, id est anno circiter ant. Christ. 470. Ex hoc igitur conjiciendum est, ætatem qua floruit Noster, recte a Laërtio fuisse definitam.

Ergo Nostrum arbitrabimur anno ante Christum 504, vixisse ac floruisse, sed de natali anno, nullum fatebimur superesse documentum. Illi fama est fratrem fuisse cui regiam dignitatem, si vera traduntur, concessit Heraclitus, humana despiciens, vitamque gestiens totam in philosophando consumere : hoc quidem, Anthisthene duce, Laërtius[1] edocet nos.

Auctor etiam idem est, Ephesium sapientem, ut leges conderet a civibus rogatum, tantum abnuisse negotium ac rempublicam noluisse, pessimis artibus fractam debilitatamque, sustinere. Vixit enim inter cives seditionibus intestinis dilaceratos, inexpiabili odio contra nobiles accensos plebisque principatum votis expetentes. Inde illi arbitramur tristitiam mentem invasisse, atque hanc non e doctrina solum sed etiam hominum invidia natam. Dicitur Heraclitus, ætate gravis, procul ab hominum societate, in abditum secessisse collem, ibique olera et herbas comedisse : sed paulo post, aqua intercute labo-

[1] Diog. Laert., ix, 6.

rantem, reversumque in urbem, sexagesimo ætatis anno supremam diem obiisse[1]. Sed hæc hactenus; horum enim fere omnium, auctor unus Diogenes est apud quem commentitia veris persæpe admisceri manifestum est. Paulo minus incerta adeamus.

II. Magis ad rem pertinet quodnam Ephesii nostri scriptorum genus fuerit et materia, inquirere. Quod quum Laertius narrat hujus unum esse librum, idem reperimus a Clemente Alexandrino referri[2], addit quoque Diogenes varias heracliteo libro inscriptiones ab antiquis addictas fuisse. Illum enim *Musas* inscribit unus, alius *de Natura*, tertius, de Diodoro loquor, *certum constituendæ vitæ gubernaculum*, quartus denique auctor, *Morum scientiam sive ornatæ vitæ normam quæ, licet una, cunctis tamen hominibus conveniat*[3]. Quod ad primum attinet genus inscriptionis, hoc e Platonis *Sophista* depromptum esse suspicamur, nec tamen cæteris esse anteponendum : constat enim nostrum pedestri sermone scripsisse. Equidem non negaverim complures, in heracliticis excerptis, voces inveniri ad moralem scientiam pertinentes, nec vero tertiam inscriptionem genuinam esse crediderim. Moralem nempe disciplinam, vix credibile est principem in viri scriptis locum obtinuisse, quum propter naturalium indagationem nec cæteras institutorum partes, celeberrimus inter veteres Ephesius fuerit. Errat vero Diogenes qui li-

[1] Cf. Diog. Laert., *loc. cit.*
[2] Clem., *Stromat.*, i, 332.
[3] Diog. Laert., ii, 5-6.

brum tripartito dividit, nec recordatur, quibus florebat Noster temporibus, usitatam nondum esse rem diversas separatim quæstiones explicare. Quocirca, ex variis quæ ante oculos nostros subjectæ sunt inscriptionibus, secundam eligimus, si minus veram at saltem probatione dignam existimantes.

Quæ heraclitei libri fragmenta, usque ad nos, qualia ex Mullachio haurire est integra pervenere, ea fatebimur in magna rerum obscuritate versari propter paucitatem; nec nos « propter obscuram linguam » auderemus adjicere, nisi fama foret Ephesium a sermonis obscuritate τοῦ σκοτεινοῦ cognomen accepisse. Obscuritas vero hæc ut judicemus quanta fuerit, excerptorum paucior videtur esse numerus, sed non inutile forsitan erit ea quæ de genere obscuritatis istius causaque antiqui tradiderunt auctores summatim referre. Illa primum M. Tullii sunt apud quem legitur. « Heraclitum non omnes interpretantur uno modo, qui, quoniam, quid diceret, intelligi noluit, omittamus[1]... » Eisdem fere verbis Clemens Alexandrinus loquitur[2] atque Diogenes[3], ex quibus patet, doctrinam perobscuris sententiis consulto fuisse involutam. Censet autem Heraclitus, sive ut quidam nominaverunt Heraclides[4], physicas quæstiones poeticis verbis, id est figuratis atque, ut ita dicam, tenebrosis ab Ephesio explicari. Quod si intellexeris, Ephesium sequetur, judicio ac voluntate obscurum tentavisse scribendi genus. Rem sane

[1] *De Natur. Deor.*, III, 14.
[2] Clem., *Strom.*, V, p. 571 c.
[3] Diog. Laert., IX, 6.
[4] Heracl., *Allegor. Homer.*, c. 24, p. 51.

mirandam! obscurus fuisset Ephesius propter generis humani odium! at si odisset homines, propria cogitata litteris nunquam mandavisset. — At quæ scripsit, in Artemidis templo condita manere jussit! — Utrum vero librum absconderit an potius venerationis causa seposuerit in dubium potest adduci. Ac cæterum, ut quæ incertæ fidei auctores fabulati sint omittamus, ad Demetrium[1] confugiemus atque Aristotelem[2], quibus ea fuit de sermonis heraclitei obscuritate sententia, ut hanc existimaverint ex imperfecto tenore sermonis esse ortam, in quo ubi principium periodi sit, ubi finis, dictu sit difficillimum.

Restat ut de viri magistris pauca subjiciamus. Agnoscamus primum nullam inter veteres manavisse famam de peregrinis regionibus ab Ephesio invisis; at si meminerimus Thaletem atque Anaximandrum multo illi esse superiores, non mirabimur Nostrum ex præceptore nullo doctrinam accepisse, philosophiamque suopte ingenio fuisse edoctum. Auctor vero Sotion est, ut a Laertio fertur, Xenophanem ab Ephesio non semel auditum esse; quod quidem ad infitiandum nulla causa ducimur. Sed quum Xenophanem, in Asia Minore natum, Heraclitus audiverit, non inde sequitur, ut Xenophanis discipuli loco jure habeatur. Sunt tamen qui contendunt inter amborum sapientium disciplinas manifestam apparere affinitatem[3]; quod si ad quasdam rationum

[1] Demetr., *de Elocutione*, 192.
[2] Aristot., *Rhet.*, iii, 5.
[3] Cf. Renouvier, *Manuel de phil. anc.*, i, 180.

partes respexeris, illis forsitan assenseris, conversus autem ad fundamenta doctrinæ Xenophanem agnosces in Eleaticorum cœtu sedem nec immerito obtinuisse, Heraclitum vero, licet plus quam physicus sit, ionicis autecessoribus satis aperte respondere, negare non poteris. Nunc igitur quæ antecessoribus illis instituta fuerint, breviter inquiramus.

CAPUT III

DE HERACLITI ANTECESSORIBUS

I. Ionici physici, ut optime Plutarchus[1] animadvertit, idem hoc esse contendunt *ex quo* atque illud *per quod* omnia gignantur. Ac primum, ut de *Thalete* loquar, ionicæ physicæ repertore, aquam, apud hunc non elementum modo fuisse dicam, sed principium, causamque. Quæ quum *Thales* meditabatur, huc sese adduci rationibus his palam profitebatur, quas nos docet quotidiana rerum experientia, animadvertebat enim cuncta ex humore oriri, atque in eumdem humorem ita resolvi, ut satis aperte pateat cunctarum rerum semina ex humido constare. Quid vero, aiebat ille? Nonne humor omnibus quæ terra parturit alimentum præbet, quo deficiente, solum exarescit neque messes proveniunt?

Thales certe, ut cæteri, qui post illum floruerunt, atque illius instituerunt vestigiis, res omnes, rerumque omnium causam, Ἓν ὑλοειδεῖ animo sibi effin-

[1] *Placit. Phil.*, I, 3.

xit, ac nos Thaletem, etsi hoc vocabulo ἀρχῆ usus fuisse non videtur, inter illos collocandum esse censemus qui corporale elementum δυνάμεως cujusdam loco habuerunt, nec esse quidquam in natura defenderunt omnino vita privatum. Nulla tamen cur M. Tullio[1] causa est assentiamus, qui Thaletem asserit « aquæ adjunxisse deum qui ex eâ cuncta fingeret, » nec etiam Plutarcho[2] fidem adhibemus qui hoc ut Thaletis retulit, « esse νοῦν τὸν τοῦ Κοσμοῦ Θέον. » Locupletissimus vero Aristoteles auctor est apud quem legimus Thaletem cuncta diis ac dæmonibus implevisse[3]. Ex quo satis liquet principium illud omnium rerum ut vim corporibus insitam debere intelligi, ea autem vis est, quæ extra cunctarum rerum universitatem minime per se exsistat.

Utrum vero per humidum designabimus illud qui humor vulgo appellatur, an potius persubtile quoddam et pæne incorporatum materiæ genus? Quæstionem hanc fateor operæ pretium foret excutere; sed in tanta documentorum paucitate, ab omni conjectura decet remotum tenere judicium. Credibile enim videtur seu materiam hanc quæ humidam speciem oculis ac manibus quotidie præbet, ut universarum rerum fontem, a philosopho positam esse, neque aliud quicquam subtilius fuisse excogitatum. Proprium nempe ionicis sapientibus semper fuit illud, ut ea solum quæ sub sensibus subjecta sunt, amplecterentur, nec ullam rem arbitrarentur sine

[1] Cicer., *de Nat. Deor.*, I, 10.
[2] Plut., *Placit. Phil.*, I, 7.
[3] Arist., *de Animâ*, I, 5.

materia esse. Primus vero Thales illam philosophandi rationem in Græcia protulit, qui totus in his incumbens quæ sensu percipiuntur, corporei generis principium, in illis ipsis quæ cernere aut tangere possumus, jacere, ut opinor, existimaverit.

Geometriæ traditur idem fuisse peritissimus et scientiæ sideralis. Astra scilicet terrenorum corporum atque flammeorum instar, sibi effingit animo, solemque terris adimi arbitrabatur, quia subtercurrit hunc interposita luna [1], quoties etiam sol defecturus esset hominibus prænuntiabat [2]. Imo vero, in hac siderum cursus inspectione, Thales adeo progressus esse fertur, ut, si Callimacho fides adhibenda est, Minorem Ursam primus invenerit, dierumque numerum, quotquot in anno sunt, definierit [3].

Doctrinam idem de anima certam videtur habuisse. Plutarchus enim auctor est, animam substantiæ loco Thaleti esse habitam, perpetuo motu excitatæ, suique ipsius motricis [4]. Hoc etiam Plutarchi citatur « Thales dixit nihil esse potentius necessitate cui cuncta pareant atque subjiciantur [5]. » Necessitatem vero ut providentiam intelligebat, ab illaque mundum existimabat administrari; rogatus enim quidnam sibi pulcherrimum esse videretur, mundum scilicet dicitur respondisse, atque cuncta, quæ bene ordinata sint, ea mundo contineri [6].

[1] Plut., *Placit. Phil.*, ii, 24.
[2] Herodot., i, 74.
[3] Diog. Laert., i, 27.
[4] Plut., *Placit. Phil.*, iv, 2.
[5] Plut., *loc. cit.*, i, 25.
[6] Plut., *Sept. Sap. Conv.*, 9.

Quæstio tamen est num inter mundum quæ providentia sapientissima est, diversasque hujus mundi res quæ, ut singulæ adspiciuntur, dæmones a Thalete fuerint interpositi. Istudne supra citatum, cuncta scilicet, dæmonibus esse plena, ad litteram nos acceperimus ? *Anthropomorphistas* quidem Ionicos fuisse scimus, deosque ut immortales heroas animo concepisse : quæ quum ita sint, non dubitandi locus est quin locum immortalibus Diis Thales et ipse adsignaverit, ex humido semine ortis, ut cuncta quæ fiunt et in orbe gignuntur[1].

II. Dicitur Thales olympiadis trigesimæ quintæ anno primo natus esse, et mortuus circa quinquagesimam octavam[2]. *Anaximander* autem, illi successor ac discipulus[3], tempore quo defunctus est magister, sexagesimum quartum ætatis annum agebat, ut ex Laertio patet[4], qui in hoc, ut semper, Apollodorum sequitur. Thaletis, ut aiunt, discipulus fuerit ac sodalis, concedo ; doctrinam vero acceptam non modo explicuisse sed etiam, nec in deterius quidem, illum immutavisse nemo non fatebitur. Etenim, quod apud Thaletem, elementi principis loco, aqua vocatur, *Infinitum*, nominatur ab Anaximandro, nec elementi solum sed etiam *causæ* partes sortitur. Quod si eadem de elementi natura disseruerit Thales quæ melius causæ tribuantur, atque assignentur, principii conceptum ac

[1] Cf. Renouvier, *loc. cit.*, i, 100.
[2] Diog. Laert., i, 37.
[3] Cf. Simplicium, *in Phys.*, i, p. 3.
[4] Diog. Laert., ii, 2.

causæ constat ab illo fuisse adumbratum, nec amplius. Anaximander autem non mundo cuncta ex infinito oriri vult atque egredi, sed illis oriendi causam atque nascendi infinitum esse contendit, primusque philosophos inter hoc nomine ἀρχῇ usus fuisse traditur. Quænam vero infiniti natura est?

Infinitum prorsus omne dici potest, de quo, quid sit, utrum hoc an illud, utrum terra an ignis, utrum aer an aqua, minime pateat; atque ut exemplo utar, istud nescio quid.

Quem dixere chaos, rudis indigestaque moles,

τὸ ἄπειρον jure vocabitur.

Quod ad philosophum spectat Anaximandrum, nihil aliud per *infinitum* agnoscemus debere intelligi, nisi meram potentiam corporeo cuidam subjecto inhærentem, atque in se contraria involventem. Infinitum vero, ubi potentialiter exsistere desinit, finitum esse incipit, separatisque contrariis, ornati mundi compositum efficit ordinem. « Involuta enim quæ sunt in Infinito subjecto [1] (atque hoc corporeo) contraria evolvi dicit Anaximander.... Contraria autem sunt calidum, frigidum, aridum, humidum et cætera... » Quæ scilicet, alia ab aliis separantur (quum gignitur mundus), cienturque motu perpetuo. At Infinitum, solum per se spectatum immortale est atque interitus expers; quocirca nullum videtur huic esse principium; est vero hoc rebus quæ fiunt principium unum, et continet omnia atque omnia gubernat.

[1] Cf. SIMPL., in *Phys. Arist.*, f. 32 v.

Ortam esse quæstionem quonam sensu debeat contrariorum, involutio illa intelligi, equidem scimus. Landatur enim Theophrasti locus[1] ex quo quamdam inter Anaxagoram atque Anaximandrum similitudinem institui posse crediderunt interpretes. Verumtamen assentimur iis qui, quum Theophrasti locum diligenter scrutati sunt, locum illum ita intellexerunt ut *homœomeriarum* doctrinam totam esse Anaxagoræ judicaverint[2], qui rerum multitudinem actu diversarum in Infinito jacere contenderit. Easdem vero in Infiniti gremio confusas esse Anaximander existimabat.

Omissa igitur controversia, qua ratione concrescant res atque extenuentur videamus. Primo vero calidum frigidumque alterum ab altero separantur[3], quo facto, igneus globus nascitur qui aerem circumdat; aere autem, sicut arbor cortice, terra cingitur. Mox autem globus in circulos quosdam abrumpitur, sideraque fiunt : ex primi humoris reliquiis oritur Oceanus, cujus pars major sole exarescit[4]. Animalibus etiam humor origo est, qui, quum nati sunt, spinosis corticibus primum obvolvuntur; sed ubi adoleverunt, cortice rupto, ad siccitatem transeunt[5], eodem modo et ipsi nascuntur homines, quos, antequam humanitatem induerent, natura pisces esse voluit[6]. Et nunc admiremur si quis inter recentio-

[1] Simpl., *in Phys.*, f. 6.
[2] Cf. Zeller, *die Phil. der Griesch.*, i.
[3] Plut., *ap. Euseb. Præp. Ev.*, i, 8.
[4] Plut., *Placit. Phil.*, iii, 16.
[5] Plut., *loc. cit.*, v, 19.
[6] Plut., *Conv. Disput.*, viii, 8.

res, humano generi parentem esse ac genitorem simium existimaverit ?

Hæc de physicis Anaximander. Quæ autem illi de astronomicis visa fuerint, apud Plutarchum reperire est[1], astra scilicet cœlestium deorum loco haberi ; solem in mundo altissimum obtinuisse locum ; hujus circulum esse terra majorem partibus octo et viginti, circulique ambitus rotæ currus assimilari, excepto autem circulo, eamdem quæ terræ sit, solis esse magnitudinem ; soli foramen esse, quod quum clauditur defectus eveniant, lunæ quoque circulum esse adjunctum ac terræ ; orbem vero terræ unde viginti partibus luna esse minorem.

Atque etiam de illis quæ terram inter ac sidera conspicere est disseruisse traditur Anaximander ; quæ enim apud illum fulminis causa est ? Nempe, quoties aer nube quadam obvolvitur, evadere tentat, inde fragor et lumen. At quoties subtiles aeris partes atque humidas sol movet atque agitat, ventorum flatus efficitur. Quæ cuncta, e Plutarcho excerpta, magnam certe vim habent ad probandum, quantam in singulis naturæ rebus investigandis curam dederit operamque impenderit Thaletis discipulus, quantoque antecesserit magistrum.

Illud tamen a magistro (si quidem illi Thales magister fuerit) mutuatus esse videtur. Apud Thaletem, non modo res omnes ex humido nascuntur, sed, statis temporibus, humidam rursus naturam induunt. Utrum vero reditus hic ad elementum universis eodem tempore fiat, an singulis atque per ordinem,

[1] Plut., *Placit. Phil.*, passim.

documenta desunt. Anaximander autem cuncta ex Infinito orta, rursus in Infiniti voraginem die dicta, reversura esse contendit; quosdam enim temporis circulos esse statuit quibus singula quæque oriantur, quosdam autem quibus corrumpantur, alternisque ita vicibus in æternum omnia nasci, atque universa simul emori et aboleri; nam, qui nunc est, absumpto mundo, iterum ex Infinito nova rerum series evolvetur, novusque dabitur Injustitiæ locus[1], inde supplicium novum mundique ruina.

Restat ut quæ de diis Milesius senserit, breviter commemoremus. Si M. Tullio fidem adhibemus[2], astra sunt apud illum cœlestes dii; hos vero deos, quos tunc populus venerabatur, nonne illos revera exsistere putabat? In dubio res est, quod tamen si putavisset, illos nimirum, ut natura homini vicinos, atque ex Infinito natos conjectasset, universæque necessitati, qua cunctis moderatur Infinitum, esse subditos.

Sed nunc de Anaximandro adeo multa dicta sunt, ut plane pateat quanta illi fuerit in indagandis rebus facultas ingenii. Tantam vero facultatem illam esse agnoscimus ut supposita esse documenta non negaverimus, quibus ab Anaximandro constet Thaletem ut præceptorem, atque doctrinæ magistrum electum fuisse. Thaletis sodalis esse potuit, nec discipulus tamen. Distat enim ab illo quum in natura corporum omnium elementum jacere existimat, quæ per se sine forma sit atque infinita; quod quum censet,

[1] Cf. Simplic., *in Phys.*, A. f. 6 a.
[2] Cicer., *de Nat. Deor*, i, 10.

quamdam esse suspicatur incorporearum rerum sedem, eoque vitalem vim incorruptam magis ac sinceram esse, quo sensilem minus speciem oculis manibusque præbeat. Imo etiam, elementum illud quod Thales in finiti corporis modum sibi effingebat animo, idem, pæne incorporatum, non modo elementum, sed causam principiumque vocabat Anaximander; quod *actum* recentiores nos appellamus, id Anaximandri mentem non prætervolavit, fuitque a *potentia* distinctum : genitricem nempe causam ante genitas res Milesius ponit; illamque, quum singula quæque nascuntur continuo et pereant, æternam esse omnisque interitus expertem plane intelligit. Physicus quidem Anaximander est; is vero physicus, quum de naturis edisserit arcto fine quasi circumdatus, mentem supra naturam extollit metaphysicorumque regionem, quasi sensilibus obductam nubibus prospicere videtur.

III. De *Anaximene* breviter disserendum nobis est, cujus paucissima constat monumenta superesse. Mileti dicitur esse natus Olympiadem circa sexagesimam tertiam, ut Apollodoro placet[1], aut quintam circa et quinquagesimam, ut scribebat Suidas. In tanta documentorum paucitate, quæ cæteris veriora sint parum refert inquirere. Etenim quoquo modo Anaximenem decet inter antecessores numerare Heracliti.

Primo adspectu quidem Thaleti propior est quam Anaximandro Anaximenes, quippe qui, principium

[1] Cf. Diog. Laert., II, 3.

genere infinitum, qualitatibus vero finitum elegerit[1]. Ex illo, qui aer est, cuncta oriuntur, atque ab eodem, statis temporibus corrupta, finem habebunt. Quum concrescitur aer, gignitur terra, quæ aere innititur; cœlum postea, sideraque fiunt.

Animadverterunt quidam[2], tum primum quum philosophabatur Anaximenes factam fuisse *densationis* mentionem ac extenuationis. Densato scilicet aere, terraque genita, rursus e terra vapores excitantur, quibus paulatim rarescentibus, ignea efficitur natura, quæ astris est parens atque sideribus[3]. E contrario autem, quum densatur aer, agglomeratis nubibus, imbres cadunt ex quibus nives grandinesque per densationem ortum ducunt, densataque ad extremum aeris natura, terra gignitur iterum, iterumque lapides proveniunt. Quocirca, omnibus rebus quæ ex aere constant, sine fine motum esse videmus. Nec mundus solum aere constat sed etiam immortalis deorum cœtus : illud enim Augustini citatur[4] : « Omnes rerum causas infinito aeri dedit, nec deos negavit aut tacuit; non tamen ab ipsis aerem factum, sed ipsos ex aere ortos credidit. »

Hæc de principiis rerum Anaximenes, apud quem animadvertimus, expressum fuisse conceptum illud, quo singularum rerum multitudinem, ut unum quid, nec re ipsa multiplex, ionici phycisi consideravisse feruntur; longius autem in via progressurus est Ephesius noster.

[1] Cf. Plut., *ap. Euseb. Præp. Ev.*, I, 8.
[2] Cf. Renouvier, *loc. cit.*, I, p. 127.
[3] Origenes, *Philosophumena*, p. 12, éd. Miller.
[4] Aug., *de Civitate Dei*, VIII, 2.

Quæ vero de physicis probaverit, Plutarchus nos docet : quoties enim terra concutitur, id Anaximenes putabat in humido vel etiam in calido causam habere[1]; hujus autem terræ formam trapezii formæ assimilabat[2]. Terram idem planam esse credebat aeri innixam, immotamque propter latitudinem quæ illi causa quietis esse debeat[3]. Quod ad solem attinet, latus Anaximeni videbatur esse, arboreisque foliis simillimus, atque ut aeri terra innititur, inniti cœlo cum sideribus omnibus; cœli autem orbis erat solidus atque terrestris, stellæque ut immotæ habebantur ab errantibus astris quam maxime diversæ; hæc vero non infra aut supra, sed circa terram perpetuo cursu ferebantur. Sed nos satis de Anaximene disseruisse arbitramur.

Quod si illis assentiremur qui Xenophanem fuisse Ephesio magistrum contendunt, de Xenophane nobis deinceps videndum esset. Exstant quidem complura eleatici philosophi de astronomicis placita, quæ potuit Ephesius ex illo depromere. At in astronomicis nullius momenti est heraclitea ratio. Disseruisse vero de una τοῦ ὄντος natura Xenophanem recordamur; illa autem τοῦ ὄντος unitas pura est atque sincera, neque ex infinito constans numero partium; huc accedit sensilium rerum conglobationem minime exsistere; quodvis enim sentitur nihil est. Quæ quum audivisset Ephesius, stomachatus, ut opinor, fuisset, qui unitatem illam ex multiplicibus constare partibus

[1] Plut., *Placit. Phil.*, iii, 15.
[2] Plut., *ibid.*, 10.
[3] Arist., *de Cœlo*, ii, 13.

existimaret, qui Deum minime immobilem, at semper æterno motu excitatum esse assereret, sensiliumque rerum, ut ita dicam universitatem, vera solidaque τοῦ ὄντος esse accidentia censeret. At enim quo ex fonte hausit sententiam illam gravem satis et ad doctrinæ fundamenta quam maxime pertinentem scilicet unum esse τὸ ὄν atque mobile? Hanc vero Thales adumbravit atque Anaximander, neque etiam meditabatur aliud Anaximenes quum cuncta ex aere fieri prædicabat; illorum certe vestigiis Ephesius institit neque nobis Heracliteam disciplinam illustrare tentantibus operæ videtur esse pretium, extra physicorum ionicorum sectam magistros Ephesio vel etiam antecessores exquirere.

CAPUT IV

QUÆ FUERIT HERACLITO DE METAPHYSICIS DOCTRINA

In illustrandis Ephesii placitis, ab illis exordiemur quæ fertur Noster de metaphysicis rebus instituisse.

Jam illud satis notum est, omnia quæ in orbe sunt perpetuo motu circumagi, atque motum cunctis esse principium ac causam. Nos igitur ea primum in doctrina considerabimus, quæ ad universum motum spectant.

Hæc quidem de natura censebat Heraclitus, moveri scilicet omnia, nullamque rem stabilitatis cujusdam esse participem. Nec moveri solum aut fluere[1], universam rerum naturam contendebat, sed etiam quod multo gravius est, nihil præter motum suspicabatur exsistere[2]; non quod in eis, quæ quotidie cernuntur, quietis speciem quamdam sensus nostros percellere negaret, sed speciem illam pro

[1] Cf. Plato, *Phileb.*, 143.
[2] Cf. Pl., *Theætet*, 156.

vana tenebat falsaque[1], semperque prædicabat mundum hunc, in quo nati sumus, fluvialibus undis esse persimilem quæ aliis aliæ semper impelluntur, neque nos in eumdem fluvium bis descendere sinunt[2]. Quid vero! ne semel quidem, eisdem undis nos prætervehimur, qui, quum fluit amnis, fluamus et ipsi, tanta est cunctis irrequieta mobilitas! Suam igitur sortem, insani vel ignari miserandam esse conquerantur; sapientes vero, rerum singularum fugam mortemque, universæ vitæ causam esse intelligant, neque ullum conjiciant quieti locum in mundo assignari[3], propter hoc flumen quasi continuum quo rerum atque hominum genus fertur ac perpetuo mutatur. Ergo vere philosophus, ad singula quæ fiunt respiciens, omnia illa fatebitur, alia ex aliorum morte vitalem exhaurire auram[4] « illarumque vivere mortem[5]. » Nascentia enim jam moriuntur, moriuntur vero ad renascendum cuncta; nos etiam quotidie nascimur ac morimur; nam « vita et mors in vita nostra et morte insunt. »

Quibus cognitis, quis verborum sit illorum sensus, inquirendum est, quæ non dico philosophum sed vere poetam resonant, ac primum quantam vim habeat Platonis iste locus τὸ πᾶν κίνησις ἦν[6], attente perscrutemur. Nonne ex illo jure concludi potest, omnibus rebus non accidentis loco motum inesse,

[1] ARIST., *Nat. Auscult.*, VIII, 3.
[2] ARIST., *Metaph.*, III, 6.
[3] PLUT., *Placit. Philosoph.*, I, 23.
[4] Cf. PLUT., *de* EI *ap. Delph.*, 18.
[5] HERACLID., *Alleg. homer.*, p. 51, éd. Miller.
[6] PLAT., *Theæt.*, 156.

substantiæ vero et essentiæ suscipere partes? Atqui motus per se nihil est; qui igitur motum ut substantiam agnoscere est? Moveri quidem omnia facile concesserim, verum enim vero istud *omnia motum esse* qua ratione fieri possit, vix intelligere queam.

Quod ut magis in aperto fiat, metaphysicas regiones deseramus interdum, eaque in memoriam revocemus, quæ in Græcia olim antiquissimi poetarum feruntur cecinisse. Horum enim in canticis principem locum *Tempus* obtinet, qui vocatur a Simonide « Pandamator » atque a Pindaro « omnium rerum Parens[1]. » Nec Pindarus solum et Simonides τὸν χρόνον ante cuncta quæ gignuntur exsistere canebant, sed etiam Pythagoras qui censebat tempus universi mundi esse animam[2]. Temporis vero movere omnia officium est ac mutare, gignere omnia et corrumpere. Quocirca poetarum instar Ephesius, ut opinor, eloquebatur, quum rebus omnibus ut causam motum esse statuebat ac mutationem. Illi vero poetæ quos supra nominavimus, quum Temporis facta, gloriam laudemque in canticis celebrabant, Tempus illud, cunctarum rerum genitorem, ut conceptum nèscio quid, quod sine materia sit, animo sibi minime effingebant; Tempus enim ut Deum venerabantur; Deos vero licet immortales, corporalis cujusdam formæ participes credebant, neque quidquam incorporeum in omni natura esse suspicabantur. Quæ quum ita sint, maximi momenti quæstionem

[1] Pind., *Olymp.*, II, 31.
[2] Plut., *Plat. Quæst.*, VIII, 4.

movendam esse censemus qua plane videatur, utrum philosophi nostri sententia, corporatam necne naturam motus habuerit.

Quæ igitur apud Ephesium substantia motus fuit? Si Schleiermacherum interrogas, nulla; is enim, in Heracliti placitis nullam corporati cujusdam principii mentionem factam esse conjicit. Ergo si principium quid corporeis rebus assignari velimus, illud necesse erit Fatum vel Necessitatem esse agnoscamus, qua imperante, ea rebus universis æterna lex constituta sit, ut in æternum moverentur : hanc legem « das Gesetz des Werdens » Germani nominare consuerunt[1].

Nos vero, conceptum illud τοῦ γίγνεσθαι Heracliti animo observatum, imo etiam, non adumbratum modo, sed et expressum a philosopho fuisse non negaverimus. Sed nihil impedit quin Fatum sempiternamque movendi Necessitatem quum supra res omnes statuerit, eamdem in materiæ cujusdam speciem sibi animo effinxerit : quod si egerit, antecessorum philosophorum qui ionicam scholam illustraverunt, exemplum secutus erit. Ionicis autem a fontibus minime discessit, in ea disciplinæ parte, quæ ad principis elementi naturam pertinet; quod satis declarant auctores fere omnes, atque illorum in primis, auctorum longe locupletissimus, Aristoteles.

Illa enim de Heraclito scribebat in primo Meta-

[1] Cf. SCHLEIERMACHER, *Heracleitos der Dunkle, etc.*.. Mus. d. Alterthumwissenschaft. Berol., 1807. — FOUILLÉE, *Hist. de la philos.*, Paris, Delagrave, 1875.

physicorum libro [1]. *Anaximenes autem et Diogenes aerem priorem aqua et maxime simplicium corporum principium statuunt. Hippasus autem Metapontinus et Heraclitus Ephesius ignem.* Hoc etiam apud eumdem legere est : *Quidam [2] autem cætera quidem omnia fieri et fluere dicunt, ac nihil prorsus esse stabile, unum autem quid solum permanere ex quo hæc universa transfigurari sint apta : quod quidem alii complures et Heraclitus Ephesius dicere velle videntur.* Quæ autem causa est cur ab eodem philosopho ignea materia principii loco habita fuerit, quam nuper admirabamur motum ac mutationem universis rebus pro essentia tribuentem ? Nempe quia motum igneo cuidam elemento inesse credidit ; sed cur igneum esse voluit, nec potius aerium aut humidum ? Nempe quia videbatur esse nihil igne mobilius, nec quidquam magis ad ministrandam vitam idoneum ; ex quo intelligi debet : *Calidum [3] illud atque igneum ita in omni fusum esse natura ut in eo insit procreandi vis et causa gignendi ; a quo et animantia omnia et ea quorum stirps terra continetur, et nasci necesse est et augescere.*

Qua autem ratione concrescant omnia si sciscitamur, hoc fieri docebimur per mutationes continuas conversionesque, seu densetur ignis sive tenuior efficiatur [4] ; quoties enim ignea natura densatur, fit unda primum, concretaque unda, ter-

[1] Arist., *Met.*, i, 3.
[2] Arist., *De Cœlo*, iii, 1.
[3] Cic., *De Nat. Deor.*, ii, 9 et 10.
[4] Cf. Diog. Laert., ix, 8. — Simpl., *in Phys.*, fol. 6.

restrium rerum genus oritur ; hæc apud Ephesium est quæ « via deorsum « solet appellari. Altera autem est, « via sursum » appellata, quam ingreditur ignis, quum, rarefacta terra, humidam prius, igneam deinde formam iterum induit. Sunt autem qui corporum extenuationes illas atque concretiones dubitant quin vocabulis istis πύκνωσει et μανώσει in libro notaverit Ephesius [1] ; vocabula quippe illa a stoïcis primum usitata fuisse opinantur. Utrum recte an perperam conjecerint, documenta certa desunt ; animadvertamus autem concretionis speciem atque extenuationis quotidiano rerum usu, oculis nostris subjici, quare fieri potest, genus illud naturæ speculatorem ac venatorem non fefellisse, licet qua ratione quibusque certis legibus, efficiatur aliquid densius aut tenuius, minime compertum habuerit. Quocirca non modo densari materiam aut extenuari censebat, sed etiam semper immutari morique, et rursus ad novam vitam, quasi recreatam emergere [2]. Moritur enim ignis cujus in locum mare nascitur, exstinctaque unda, terrenum oritur genus ; igni scilicet mutantur omnia atque omnibus ignis ut auro merces, mercibusque aurum.

Nunc igitur quonam vinculo connectantur heracliteæ voces illæ quarum prior ad universum flumen, posterior ad universarum rerum igneam naturam spectat, nemini obscurum erit. Ambo enim dicta eodem redeunt, inestque rebus omnibus ignis, quia motu aufertur universarum rerum moles. Sed cur

[1] Cf. Zeller, *Die Phil. der Griesch.*, I, p. 543.
[2] Cf. Clem., *Strom.*, V, 599. — Plut., *de EI ap. Delph.*, 18.

universitatis hujus æterna mobilitas est? Nempe quia nihil in mundo potest adspici, quod non igne constet. — At etiam mundus ex igne constat propter ea quod ignis sensile est mobilitatis universæ signum, poeticisque verbis doctrinæ principium Noster enuntiabat, quum res omnes igneas esse dictitabat. — Quod si recentiorum criticorum sententias recte intellexerimus, ignem conjecerimus nihil aliud esse quam vocis flatum, aut si vis, ἀλληγορίαν. Libera quidem conjectura est, dummodo, quæ de Ephesii nostri doctrina disseruerint, eadem de Anaximandro, de Anaximene, de Thalete ipso defendere audeant. Esto igitur; ionici fere omnes ἀλληγορίκως elocuti sunt; at si doctrinas omnes isto modo interpretaremur, servaretur nunquam diversorum philosophorum vera facies... Atque ut ad Heraclitum revertamur, ignem esse conceperimus signum universæ mobilitatis; effectus autem, causæ signum habetur, et invicem, quoties causa materiam habet, ubi causa cernitur, ibi effectus esse conjicitur; quare, materiam igneam, quum signi cujusdam instar intellexerimus, non inde negaverimus eamdem, principii partes *causæque efficientis* esse sortitam, sententiam denique illam Ephesii nostri mentem subiisse arbitramur quum disciplinæ fundamenta locaret : « Omnia fieri conspicio mutarique ; omnia motus sunt, cunctis igitur motus genitor est atque parens. Res autem nulla sine materia est; (ut Thales, Anaximander, Anaximenes et ipse probaverunt) atqui, materiæ cuidam generi, essentialiter motus inesse debet; quamnam vero illam materiam esse dixerim? illam nempe qua vitalius aut mobilius nihil

videri possit aut excogitari. Atqui res cæteras ignis mobilitate antecellit. Ergo ignis erit universis motus *corporale substratum*, atque propter hoc, universi causa mundi. »

Est igitur ignis effector motus mutationumque omnium. Mutatur vero et ipse ignis quod antea patuit ex Clemente atque Plutarcho. At, si mutatur, in errorem incidisse nos fateamur necesse est, qui ignem illum elementum causamque vocaverimus. Omne enim quod principii vel elementi loco habetur, non sine quadam stabilitate intelligi debet, et aliquid immutati retinens in se : quo concesso, quum moveri omnia dictitarit Ephesius, sententiam hanc ad litteram accipere non deceat. Quæ quum ita sint, controversiam nobis instituere placet, ut, ex illa, claram in lucem proferatur quæ vera fuerit heraclitei principii natura.

Subtilis autem quidam in Germania disputator, atque in cavillando peritissimus, conjecturam de Heraclito cepit novam prorsus et usque ad hunc diem inauditam. Is enim, quum de Ephesio meditatur, hegelianum nescio quid odoratur, in illis totus quibus ad suspicandum Hegelius adducitur, sibi antecessorem parentemque in philosophando fuisse Heraclitum. Quod si verum sit, Heraclitum sequitur logicis disputationibus vitam impendisse, logicaque somnia per physicarum rerum expressisse imagines. Ac non aliter philosophum nostrum *Lassallius* egisse putat atque ad confirmandam sententiam, ingentem citatorum locorum molem congerere gestit.

Molem hanc, igitur, paulisper intueamur, ut

quam inexpugnabilis habenda sit, inde videatur. Primo quidem adspectu, Platonem inter testes sedentem animadvertimus, qui non solum *ignis* mentionem facit, sed etiam « caloris in igne insiti ». Illud enim in *Cratylo* legere est, quod nimirum heracliteam originem trahit[1] : ὅδ' οὐκ αὐτὸ τὸ πῦρ φησιν, ἀλλ' αὐτὸ τὸ θερμὸν τὸ ἐν τῷ πυρὶ ἐνόν. Proximus divo Platoni Simplicius adest qui heracliteam causam ponit εἰς τὸ ζωόγονον καὶ δημιουργικὸν τοῦ πυρὸς[2]. Ad latinos nunc transeamus quos inter M. Tullius eminet apud quem hæc reperiuntur[3] : *Sed omnia vestri, Balbe, solent ad igneam vim referre, Heraclitum, ut opinor, sequentes, quem non omnes interpretantur uno modo. Vos autem ita dicitis, omnem vim esse ignem... id vivere, id vigere quod caleat.* Post Ciceronem testes Chalcidicus advocantur et Martianus Capella, quorum alter, *ignem, sincerum quid* esse putat[4] *et sine ullius materiæ permixtione,* alter[5] ut *materiam informem* habet.

Utrum certæ an incertæ fidei auctores illi fuerint omnes quibus innititur, Lassallius parum curat, tanta illi est deformandi Heracliti cupiditas ; testimonia autem illa, qualiacumque sint, nullam certe vim habent, ad ea quæ conjicit homo probanda, hominisque semper admirabimur captiosum disputandi genus quum illa admodum portentosa audi-

[1] PLAT., *Cratyl.*, 413.

[2] SIMPL., *in Physic.*, f. 8. A.

[3] CICER., *de Nat. Deor.*, III, 14.

[4] CHALCID., *in Timæum*, c. 323.

[5] MART. CAPELLA, VII, 738.

verimus, « ignem[1] scilicet heracliteum nihil esse aliud quam *Flumen, Bellum, Tempus, Harmoniam, Necessitatem,* id est, sensilem quamdam τοῦ εἶναι ac τοῦ μὴ εἶναι imaginem, quæ licet diversa unam nihilominus atque eamdem naturam habeant, et inter se coeant. » Sic enim disserit interpres noster, cui quum consesserimus *præmissas*, conclusionem illi probatam præmissis minime involvi defenderimus.

Atque etiam nos ignem mobilitatis effectorem esse credimus, eamdem naturam rebus omnibus fatalem esse necessitatem; sed quid interest inter ignem hunc, atque istud Lassallii τὸ Εἶναι quem scimus, omnino corpore privatum, cognitione sola posse comprehendi; Hegelianum nempe τὸ Εἶναι neque animatum est neque animans neque corporis vel materiæ particeps; quocirca illud τῷ μὴ Εἶναι quam maxime esse assimilandum concesserim. Si vero ad Ephesii nostri placita respexerimus, frustra dictum aliquid ex illis eruere tentaverim, quo pateat, hegelianam messem, longe ante Hegelium, in ionicis campis provenisse. Quid enim? nonne ante natas res, Hegelius notiones possit, quibusque inter se ut ita dicam ludentibus, logicum nescio quid conceptorum agmen instruit, quo instructo, sensilia simulacra oriuntur, quæ vulgus ignarum re ipsa atque per se exsistere opinatur? Nihil tale reperitur in heraclitea disciplina, neque igneum mundi principium τοῦ Εἶναι nomine merito appellari decet: hoc melius erit τὸ ὄν appellare, quippe quod illa voce,

[1] Lassalle, *Die Philosoph. Heracl.*, Berol., 1858, vol. II, p. 67.

non mera potentia sed potius vera solidaque exsistentia satis aperte indicetur ac significetur.

Quod si nugas meditatus fuerit hegelianæ doctrinæ devotus discipulus, ne tamen affirmaverim, lucem nullam ex controversia oriri, omninoque esse negligendas diversorum auctorum voces tanto labore collectas. Primo enim conjectandum est, igneum principium, flammæ quæ ante oculos lucet, paulo esse dissimile; Heraclitus quippe, ignem omnibus rebus ut causam assignandum esse censebat, non tam propter igneum illud quod cernitur oculis, quam propter calidam vim atque vitalem in igne insitam. Hæc quidem vis materiam habet, sunt autem materiæ genera duo, quorum priori forma est et figura, posteriori vero informis natura est, ac propter subtilitatem, eorum numero quæ sensus prætervolant; hanc scilicet in spatio longe lateque diffusam corpora cuncta penetrare Noster arbitrabatur. Non alius fuit apud Stoïcos *æther* nec alius esse videtur heracliteus ignis, quem hoc verbo Plutarchus[1] *ætherio* scilicet *corpore* summa cum prudentia notavit. Contendimus igitur duplicem igneæ naturæ speciem a philosopho esse adumbratam, eodem vero nomine unam atque alteram fuisse nuncupatam.

Quo dato, ne illa velimus ad litteram accipere, quum ex ignis morte dicitur oceanus fieri, terramque in locum succedere maris... Is enim qui moritur ignis, corpus est, oculis adspectabile; huic autem corpori, quem quisque nostrum ignem appellare

[1] Plut., *Plac. Phil.*, I, 28.

solet, calida vis inest semper inexstincta, quæ nunc ignis, nunc undæ, nunc terræ deinceps speciem induit; continuo movetur, nec unquam motui finis imponitur. Sed, quum movetur, sensilem in perpetuum vestem mutat, quare si testimonio sensuum majorem adhiberemus fidem, moveri non solum illam sed etiam omnino et absolute mutari confiteremur. Hominem vero decipiunt oculi: vis enim ignea ætheriam naturam servat retinetque, qua dempta nihil ipsi superest ad vitam universis rebus administrandam. Quocirca in eodem intimæ naturæ habitu constanter maneat ætherium corpus necesse est, illiusque mutari semper, ut ita dicam, superficiem agnoscemus; sola autem sensilis forma mutabitur, mutataque illa, corporearum rerum sequentur sine ulla intermissione motus ac conversiones.

Quod si, ætherii corporis ea natura sit, ut omni finita figura per se indigeat, atque ob rationem hanc sensus nostros effugiat, non omnino rejiciendam esse censemus illorum opinionem, qui heracliteum principium animorum naturæ quam corporum propius, excogitatum fuisse conjiciant, supraque sensilem ignem alteram ignis speciem natura quasi metaphysicam extollant. Atque etiam nos sic existimamus, dummodo recordemur principem illam causam licet informem, non ideo materia omni vacare; medium igitur illi corpus inter mentemque incorpoream locum adsignabimus. Nunc autem quum satis aperte pateat omnium rerum causam in materiæ speciem effingi, quæ illi doctrinæ consequentia sint, videndum nobis est.

Atque hoc in primis heracliteis involvitur decretis,

scilicet unum esse τὸ ὄν atque infinitam rerum varietatem quæ τοῦ ὄντος ut sensiles adspectus non immerito habeantur. Etenim singulæ res nullo modo per se exsistunt, nihilque est in illis ætherio igne vacuum. Nulla vero rebus aut animantibus stabilitas inest quæ semper ex alia in aliam formam transeunt; illos igitur *esse* negandum est. Eodem fere modo in *Parmenide* Platonis disseritur[1] : anquiritur enim quid uni eveniat quum sit unum simul ac multiplex, concluditurque nunc τοῦ ὄντος unum, nunc τοῦ μὴ ὄντος esse particeps, inde legem illi esse constitutam ut nascatur et pereat... Hunc quidem locum nonnihil heraclitei redolere fatemur, sed quod apud Platonem præmissæ, conclusionis idem apud Ephesium conjicimus locum obtinere. Unum igitur est τὸ ὄν semperque motu agitatum. Quo posito, τὸ ὄν exsistere quidam existimaverunt, sed potentia solum, actu vero minime ; ita etiam Nostrum disseruisse censet Aristoteles, quem, ut opinor, fugit heracliteus ignis uno modo non esse interpretandus, habendumque discrimen inter duplex igneæ materiæ genus : nam corpus ætherium, quod semper vitale est, essentiam assumere interdum atque interdum deponere negamus ; alioquin imponeretur universo motui finis sopitaque omnia quiescerent. Sed quum eamdem semper essentiam illud habeat, qua cunctis vitam ministret, illud esse non potentialiter modo sed etiam actu contendimus. Quod si discrimen istud a nobis habitum improbaret aliquis, nihil apud Heraclitum esse sequeretur quod non mortale cadu-

[1] PLAT., *Parmenid.*, 156.

cumque foret; unde enim ex mortuis viventes orirentur, ubi fons reperiretur nullus ex quo vitalem spiritum exhaurirent. Hunc vero universæ vitæ fontem in ætherio corpore locandum esse statuimus, quod, in se spectatum, mutationis expers est, atque ut metaphysice loquamur, veræ ac solidæ substantiæ partes obtinuit quæ, dum *phænomena* mutantur multiplicesque vestes induunt, eadem semper manet et una.

Quæ quum ita sint, tollendus eorum error est qui sublatas ab Heraclito definitiones omnes esse defendunt, quanquam eos non ignari sumus cum specie quadam veritatis opinionem defendisse. Primo vero, si quæ sensilia sunt, ad ea solum respexerimus, illa nullam definitionem pati facile concesserimus. Fac enim te hanc rem aut illam definire velle; ut definire possis necesse est eam intuearis penitus, at dum intueris transit. Ergo omne quod sentitur eget definitione. Nec vero aliam Aristoteli ipsi sententiam esse scimus qui speciem definiat, nec ullam esse velit sensili cuique rei definitionem. Rerum autem per genera speciesque partitionem neglexit Ephesius, ut opinor, quare ne miremur illum, in definiendis rebus toties hæsisse. Ergo nulla erit τοῦ ὄντος definitio? At etiam τὸ ὄν illud per se spectatum finitam naturam habet, rogatusque Ephesius quid τὸ ὄν sit, hoc modo nimirum respondere potuisset : « Æther est, atque per æthera corpus intelligo natura persubtile cuique essentiæ loco vis quædam vitalis insit atque motrix: accidentia autem illi contingunt infinita, seu ad numerum sive ad formam respexeris; accidentia vero solum sub humanos

sensus subjecta sunt, quæ quum semper transeant, omni definitione vacant. Inde fit ut si singulas res definire tibi in animum venerit, irritum tentaveris laborem; una enim in mundo res est quæ définitionem jure accipiat, de τῷ ὄντι loquor, idque corpus animatum et animans et rationale censeo appellandum. » Sed hæc hactenus, namque in his Ephesium patet a çommuni philosophorum omnium sensu minime abhorrere.

Nunc autem acrius pugnandum nobis est nec contra solos recentiores interpretes, sed contra et ipsum Aristotelem cujus auctoritatem ut maximi momenti Lassallius habuit ad illustrandam philosophi nostri de contrariis doctrinam.

Hegelium enim fere totum in illis versari perspicuum est quæ ad contraria spectant eumdemque novimus Ephesium ut proavum salutavisse. Quem igitur venerabatur Hegelius, eumdem Lassallius sibi vult colendum esse, atque Heraclitum, religionis ut opinor causa, hegeliana veste circumdat. Quanta vero Nostrum religione coluerit jam antea vidimus neque nobis placet in insularum disputationum laqueis irritum laborem impendere.

Melius est Aristotelem interrogare, cujus in tertio metaphysicorum libro illa legere est [1] : *Idem simul inesse et non inesse eidem non potest... Hoc igitur omnium est principiorum certissimum.... Nunquam enim ullum reperire est hominem qui idem esse contendat et non esse quemadmodum quidam Heraclitum dicere arbitrantur.* Hoc etiam ejus-

[1] Arist., *Met.*, iii, 3, 1005.

dem, memoria dignum est. « Ἔοικε[1] δ' ὁ μὲν Ἡρακλείτου λόγος, λέγων πάντα εἶναι καὶ μὴ εἶναι... » atque illud : *Idcirco, et alienas opiniones inferentes (velut bonum et malum idem esse ut Heraclitus ait) non contendunt eidem simul non adesse contraria, non quod sibi non videatur, sed quia secundum Heraclitum sic est dicendum*[2].

Nec vero, quidquam aliud Aristoteles affert, cur ea quæ, ut Ephesio comprobata confutavit, nos et ipsi reprehendamus quæ quum attente perlegerimus, non Heraclitum modo reprehendi invenerimus, sed etiam *Heraclitisantium* scholam quæ Sophistarum uberrimam segetem in veteri Græcia peperit. Quod quidem satis declarat aristotelicum illud : *Quemadmodum quidam Heraclitum dicere arbitrantur*. Sed non inde sequitur quum tot et tantas de rebus inter se conferendis ineptias meditati sint *Heraclitisantes*, nullam fuisse in magistro culpam, qui quum doctrinæ fundamenta conderet, sequentia principiis parum attente curaverit. Ea videtur Aristoteli fuisse de Heraclito sententia.

Ac, ut breviter finis controversiæ fiat, principium hoc quod vulgo « contradictionis principium » appellatur, quid valeat scrutari decet ; quod satis notum est, nulla probatione indigere, positoque illo, neque simul, neque secundum idem, accidere eidem rei contraria ; atque, ut exemplo utar, rem quamdam quæ alba conspicitur, quo tempore album specimen oculis præbet, eodem tempore nigram non posse

[1] ARIST., *Met.*, c. 7.
[2] ARIST., *Top.*, VIII, 4, 159.

haberi. Nigrum enim albo contrarium est, ex quo efficitur ut si album quid, eodem tempore nigrum esse declares, hoc ipso, eodem tempore, idem album esse affirmes ac neges, quod prorsus absurdum esse fatearis.

Tu vero, ad sensilia conversus, eorum talem esse naturam compereris ut continuo mutentur ac transeant : poterant igitur conversione facta, quæ nuper ut nigra cernebantur, eadem nunc videri alba. Atqui mutatio omnis temporis spatium quoddam requirit ; quare finitam rem in contrariam transire, mutatis vero temporibus quotidie accidit. Lex autem contradictionis nullo modo prohibet quin aliquid in contrarium mutetur, dum neque simul neque secundum idem accidentia contraria eidem subjecto inhæreant.

Quod si singulos sigillatim locos evolverimus pertinentes ad illam toties celebratam de contrariis disputationem, illud primum in *Sophista*[1] repererimus : Διαφερόμενον γὰρ ἀεὶ ξυμφέρεται. Hoc quoque Hippolyti citanda sunt : καὶ[2] τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω ἕν ἐστι καὶ τὸ αὐτό ὁδὸς ἄνω κάτω μίη καὶ ωὑτή. — ὁ θεὸς ἡμέρη εὐφρόνη, χειμὼν θέρος, πόλεμος εἰρήνη, κόρος λιμός. Ἀλλοιοῦται δὲ ὅκωσπερ ὁκόταν συμμιγῇ θυώματα θυώμασι ὀνομάζεται καθ' ἡδονὴν ἑκάστου. Item apud Plutarchum[3] : *Idem esse contendit Heraclitus vivum et mortuum, vigilantem ac dormientem, adolescentem ac senem quia hæc in illa vicissimque mutantur.*

[1] Plat., *Sophist.*, 242.
[2] Hipp., *Hæres Ref.*, p. 282 283.
[3] Plat., *Consol. ad Apollon.*, 10.

Atque ut a Platone inceperim, locum ex *Sophista* depromptum ad perfectam ornati mundi harmoniam respicere crediderim, quæ variis vocibus quasi videatur effici. Consonantibus autem inter se vocibus, sonum exaudimus unum, quod ex multis constat voculis. Itaque nullus unquam dabitur harmoniæ locus ubi deerit in rebus infinita varietas, eoque major concordia nascetur, quo magis ex diversorum varietate elementorum constabit. At ubi « diversa » scribimus, ibi *discordia* scribebat Heraclitus sententiamque veram immodicis verbis enuntiabat : hoc vero semper poetarum fuit, Ephesiumque satis aperte ostendimus poetarum affectare orationem.

Nec dicendum aliud sibi volebat, ut opinor, quum de via sursum deorsum edisserebat, quæ quidem una esse atque eadem via videtur aliquatenus, neque ita tamen ut petere altum eodem redeat, atque ad imum tendere. Una certe via est, et eadem quæ nos nunc Athenis ad Piræum, nunc autem Piræo Athenas ducat : minime vero sequitur ambobus idem iter esse viatoribus, quarum Athenas alter, Piræum alter proficiscatur.

— At etiam idem esse mori et vivere, adolescere et senescere disputabat Ephesius ! — Quid postea ? Nonne viventibus nobis, juventaque florentibus, permultæ corporis partes morte quasi absumptæ abeunt, quorum in veterum sedem nova et quasi junior materia succedit : quædam igitur in nobis pereunt, quorum necessaria est mors, ut vitæ nostræ curriculum peragatur. Itaque vita ex morte oritur, vitaque et mors in nostra vita et morte insunt.

Ac ne Aristotelicus quidem locus, ad boni malique pertinens æqualitatem, in easdem partes accipi non potest, quem ad illustrandum ea referemus quæ apud Hippolytum legere est[1]; in his ad medicos respicit Ephesius qui mercedem quæ sibi bonum est propter allatam medicinam accipiunt quæ sæpe malum ægrotantibus affert; ex quo concludit Noster bonum malumque eodem redire. Quæ quum disputabat, per figuratas locutiones, sententiam, ut arbitror, enuntiabat.

Nunc igitur in fumum dissipata abeunt, insulsitatis simulacra ista, quæ feruntur toties Ephesii mentem obscuravisse ac procul a recta rationis via remotam tenuisse. Est quidem accidentium innumera multitudo æque τῷ ὄντι quod unum est convenientium; quocirca et Jupiter ipse contrariis nominibus gaudebit qui nunc Fames, nunc Satietas, nunc Dies, nunc autem Nox vocabitur prout temporum locorumque ratio poscet.

Quem vero ad finem tendant contrarietatum sempiternæ illæ mutationes sciscitabimur. Bellum omnium rerum parentem esse, defendit Heraclitus, Homerumque reprehendit quod toties in carminibus atrocia hominum deorum prælia detestatus fuerit. Concordiam enim ignorabat ille ordinis esse fontem nec unquam eamdem nisi ex discordia posse gigni. Imo etiam; nullus erit finis discordiarum, et quo die pacata quiescerent omnia, illo die finis esset[2] ornati quem conspicimus mundi! Oculos cæterum in

[1] Hipp., *loc. cit.*, p. 282.

[2] Cf. Hipp., *loc. cit.*, p. 281.

omnia quæ fiunt si conjiciemus, arctissimam esse mirabimur diversarum rerum inter se luctantium societatem, in qua integra cum minime integris[1], consonantia cum dissonantibus in unum coïbunt, quibusque commeantibus, perfecta exorietur unitas compluribus elementis effecta. Itaque non errabimus summum quemdam opificem esse suspicantes qui variis ex materiis concordem domum exstruat, cujus ædificandæ causa humida siccet, integra dividat, cogatque in agmen unum diversissima quæque elementa[2]. Hic vero opifex homines cunctos solertia et arte antecellit, nec quidquam efficit quod non pulchrum sit atque mirabile; mortales contra bonum rectumque nunc amant coluntque, nunc deserunt et aspernantur, qui non in agendo solum, sed etiam in rebus existimandis delinquunt, Deum sæpe incusantes, nescientesque nihil quod non absolutum sit atque perfectum e divino fonte hauriri[3]. Est vero rerum atque animantium continua series, aliaque semper nectuntur ex aliis; nos etiam seu vigilantes sive dormientes optimum sapientissimumque mundi opificem, licet inscii, adjuvamus[4]. Itaque tenendum pro certo est omnia quæ in orbe fiunt ea parata esse ad unum finem et genita, neque rem ullam vel minime ponderis exstare, in qua non appareat præstantissimi solertia Jovis. Quæ cuncta satis intelligunt acutiora cæteris ingenia philosophorum, minime autem vulgus animadvertit, nec quæ sibi Providentia

[1] Cf. Arist., *de Mundo*, c. 5.
[2] Cf. Pseud. Hipp., π. διαιτ., c. 17.
[3] Schol. Venet., ed. Villoison, ad Iliad, iv 10[illegible]
[4] M. Anton., vi, § 42.

velit sensus nostros suspicatur fallere interdum; attentissima vero naturalium rerum indagatione sapiens docebitur non totam in his quæ sensu percipiuntur divinam apparere solertiam. Rerum enim ordo perfectissimus partim oculos percellit atque aures, partim in abditis naturæ latebris occultatur : miraculaque illa quæ hominem fugiunt, cæteris longe præstant multoque magis excellentem testantur opificem[1].

Hunc scilicet universi mundi ordinem, harmoniæ illi Ephesius noster æquiparabat quæ arcubus insit lyrisque. Legimus enim in Platonis dialogo qui *Convivium* inscribitur : *τὸ ἓν γάρ φησι διαφερόμενον αὐτὸ αὐτῷ ξυμφέρεσθαι ὥσπερ ἁρμονίαν τόξου τε καὶ λύρας*[2]. His quidem verbis Lassallium inniti miramur ut novum afferat ad confirmandam sententiam argumentum; cantilenam enim semper eamdem homo canit gaudetque rebus sexcenties repetitis; germanum igitur hominem, nobis in scenam inducere liceat, ut plane videatur quæ propria illi fuerit disserendi ratio. Hunc fere in modum Lassallius disputabat : Ignem heracliteum novimus, *absoluti contradictorii* esse unitatem, quam nunc ut bellum Ephesius animo sibi effinxit nunc ut « arcus lyræque harmoniam ». Sed quis istorum verborum sensus est? rem si velimus excutere, altius repetere decet. Primo vero Platonem constat, principem quæ apud Heraclitum est, causam, *Justum* nuncupare[3]. Atqui Deum meminerimus

[1] Plut., *de An. Procreat.*, c. 27.
[2] Plat., *Conv.*, 187.
[3] Plat., *Cratyl.*, 412 13.

omnia vel etiam quum injusta videantur pro justis habere, quare divinæ judicio mentis idem esse arbitrabimur justum et injustum. Ergo justum erit injusto assimilandum et absolute adæquandum. Legimus autem apud Simplicium[1] ὡς Ἡράκλειτος τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ κακὸν εἰς ταὐτὸν λέγων συνέιναι δίκην τόξου καὶ λύρας... Ergo in speciem injustitiæ arcus, inque lyræ speciem justitia effingitur. Quod si ea recordamur quæ veteres Græcorum in carminibus celebrabant, obversari ante oculos nostros divus Apollo videbitur qui nunc τοξότης vocatur quum mortiferas emittit sagittas, nunc vero Musagetes quum lyram manu tenet : lyra autem bonum, arcu malum affertur, ambobusque contrariis Deus unus delectatur. Contraria igitur Apollo ministrat hominibus qui concordiæ, discordiæque simul effector sit ; illaque nimirum ἀλληγορία Ephesius utebatur quoties de boni malique perfecta similitudine disputabat. Hæc est Lassallii conjectura, quam nemo non agnoscet subtilem demonstrare interpretem ; sed nos vera subtilibus anteponenda esse arbitramur, Lassalliumque perlegentes, frustra lucem quærimus, dolemusque non repertam.

Attamen, quum in quæstionem venerit quid sibi velint voces illæ *arcus* et *lyra* inter se junctæ neque ad idem, ut videtur, pertinentes, non satis fuerit opinionem rejicere Lassallii. « At, urgebit homo, frustra inter arcum lyramque similitudinem quamdam reperire tentabis. » Nullam prorsus invenerim si ad utriusque rei usum respexerim, sin autem quæ sit

[1] Simpl., *Comm. in Phys.*, f. 11 a b.

arcubus lyrisque forma recorder, ambo ligneis partibus inter se oppositis, atque altera alteri simillimis effici meminerim; jam vero quæ heracliteum dictum obscurabant nubes resolvuntur atque dissipantur [1].

Ea summa est heracliteorum de metaphysicis placitorum; nunc autem quæ fusius in capite explicata fuerunt in pauca conferri non inutile est.

1° Unum est τὸ ὄν atque per se immutatum. Constanter enim motricem vim et vitalem in intimo sui gremio retinet, eamque rebus omnibus communicat; ætherio ceterum corpori quam maxime adsimilandum est, quod, quum humanos sensus prætervolet, non unquam materia vacat.

2° Τοῦ ὄντος hujus, quo excepto nihil est, sensiles percipiuntur adspectus quorum multiplex esse genus, Ephesius noster existimavit : primum vero gignitur ignis cujus flamma defessum corpus recreat, incendiumque ligneis compagibus affert, illi naturæ dissimilis, quæ ignis nomine vocata, elementum princeps ac causa rebus omnibus assignatur.

3° Ea τοῦ ὄντος natura est ut perpetua circum actione auferatur. Sed quum movetur, ipsius ut ita dicam, immutatur superficies formaque sensilis. Atqui motus sine fine est : ergo sensilium rerum mutationibus conversionibusque non ullus finis imponitur.

4° Quum universa moveatur mundi machina, nullaque res sit mutationis expers, neque exsistant per

[1] Cf. J. Girard, *Le Sentiment religieux en Grèce.*

se illa quæ « singulas res » vocamus, sensilia quæque evenit nullas definitiones pati contrariaque eidem inesse. Substantia enim mundi una est : ergo quum mutatur aliquid vertiturque in contrarium, hoc ipso τοῦ ὄντος eam esse naturam jure conjiciamus ad contraria patiendum aptissimam ; quod sane sempiterno rerum omnium motui consequens est. Erraverunt autem qui consequentiam in locum principii statuendam esse conjecerunt absolutamque contrariorum æqualitatem ut doctrinæ fundamentum a philosopho nostro positam existimarunt. Huc accedit ea quæ disseruit Ephesius de contrariis ut inter se similibus, insulsitatem aut absurditatem nullam involvere. *Pantheistarum* enim exemplo, substantiam unam, unumque mundum affirmabat : data vero substantiæ unitate, singulæ res hoc ipso in *phænomenorum* regionem quasi descendunt, neque his existentia ulla, tribui jure potest quum extra substantiam nihil re ipsa sit aut exsistat. Ergo quum novi aliquid sensus nostros percellit, novum quid ad exsistentiam emergere negandum est ; nihil enim nascitur aut corrumpitur quod non sit illorum numero quæ sentiuntur. Fiunt vero hæc neque exsistunt unquam, et quum nasci videntur aut mori, τῶν ὄντων numerus nec augetur neque minuitur. Τὸ ὂν enim de solis substantiis dici potest, unaque est in mundo substantia : ne igitur quum nascitur quidquam aut absorbetur ; rem novam exsistere dixerimus, at potius substantiam unam quæ mundus est, ex alia in aliam formam transire, quæ quum in intimo sui eadem semper maneat, ea lege continuo regitur, ut, sensili veste semper induta, nunquam

forma ea quæ illi in præsens inest satietur gaudeatque : inde mutandi movendique perpetua necessitas inde, ubi æstas erat, nunc hiemem conspicimus, ubi fames, nunc satietatem, ubi unda, nunc terram, contraria denique omnia eidem subjecto (quod substantia mundi est) contingere miramur. Quæ quum ita sint, quam longe abeamus satis patet Sophistarum istorum ineptiis qui semper contraria simul ac secundum idem, eidem inesse, jocando disputabant.

5° Contraria quæ τῷ ὄντι omnia potentialiter insunt, alia cum aliis inter se luctantur, contrariumque sine fine bellum est. Bellum vero hoc cædibus vacat ruinisque, aut potius cædes ac ruina ab insanis solum et ignaris detestandæ sunt : discordia enim concordiæ parens est, et agente illa, compositarum rerum concentus mirabilis efficitur, ordinataque fiunt ex minime ordinatis. Perfectum etiam absolutumque ordinem in mundo nos admirari decet, atque ubi malum videatur ibi bonum (licet nobis occultatum) agnoscere ; omnes enim qualescumque sumus, supremum mundi artificem, dicendo vel agendo juvamus. Hoc scilicet proprium Ephesio est, ut ordinatas res ex junctis inter se contrariis oriri voluerit : vidimus enim Anaximandrum cuncta per separatas contrarietates deducere ; Anaximandrum in hoc secutus est, at quum secutus, emendavit. Nunc de physicis anquirendum est.

CAPUT V

QUID DE PHYSICIS SENSERIT EPHESIUS

Aggredientibus eam doctrinæ partem quæ ad physica spectat, de motu nobis ante omnia disserendum est, quo deficiente, deesset omnibus quæ in mundo sunt nascendi moriendique causa.

Ac primum duplicem esse motus speciem agnoscemus, quarum prior ex alio in alium locum transitus, posterior autem « mutatio » jure nuncupabitur. Quid vero movebitur aut mutabitur? Nempe τὸ ὄν quo excepto, nihil exstat : hoc autem licet natura unum, pluralitatem quamdam in se involvit. Etenim quoties de τῷ ὄντι loquimur, non modo exsistere τὸ ὄν affirmamus, sed etiam humanis apparere oculis ; illius quidem essentia, quæ semper una est, sensus nostros prætervolat, forma autem vestisque quam maxime sunt adspectabiles. Quod si igitur ad similes τοῦ ὄντος adspectus respexeris, non solum illud esse unum existimaveris, sed etiam multiplex : ergo τὸ ὄν erit mobile ac mutabile. Attamen, per se spectatum, sensilique omnino ut ita dicam, tegu-

mento, mobile dicitur, mutationis vero expers. Mobile est quia cunctas universi partes pervagatur, at, quum movetur, eamdem essentiam in se retinet quæ stabilitatem quamdam, veramque illi ministrat immutabilitatem. Spatium vero variæ quasi zonæ tenent, quarum ignea prima, humida secunda, terrena denique tertia est, ex quo, quoties ætherium corpus in sublimi regione stat, ætherium manet aut igneum, sed ita necessitas voluit ut semper ex alio in alium locum transiliret; quare ex alto in ima labitur, ac quo magis inferiora petit, eo densatur magis, illi superficies quæ maris terræque deinceps speciem induit. Sed ne τοῦ ὄντος obliviscamur superficiem solam immutari, quo circa disquisitionem nostram hunc in modum concludemus : discrimen scilicet habendum esse inter τὸ ὄν quale sit essentialiter, *phænomenaque* τοῦ ὄντος; moveri τὸ ὄν nec mutari, phænomena denique sola conversionibus mutationibusque obnoxia esse. Quæ quum diximus, Heracliti instituta oratione magis exacta forsitan explanare, quam ipse in libro explicuerit non negaverimus; in heracliteis dogmatibus qualia usque ad recentiores pervenerunt, multa desiderantur nec, ullum locum excerpere est, ex quo plane pateat quid de vera senserit spatii natura. Utrum habuerit distinctam meri spatii notionem annon, documenta desunt : conjectura autem assequendum est, Heraclitum, quoties de spatio cogitaverit, illud sibi effinxisse corporibus plenum; cognitis enim physicorum ionicorum in philosophando rationibus, vacuum omne ab illis negatum fuisse credendum est. Ergo si spatium esse cogitaverit, spatii notionem,

physicarum rerum quæ in spatio sunt notionibus quasi involutam Ephesius habuerit : ita quidem existimo, alioquin omni sensu destituta forent quæ fertur Noster de via sursum deorsum edisseruisse.

Quod si duplicem fuisse ab Heraclito positam, motus speciem arbitrati simus, hoc ipso Lassalli sententiæ contradiximus[1] qui nullum esse motum extra mutationem acriter in libro defendit. Hoc quidem subtiliter Hegelius excogitabat qui res omnes asserebat ex notionibus deduci, motumque illum quem sensus agnoscunt sensilem logici motus esse imaginem quo notiones in perpetuum auferuntur quum ex alia in alias procedunt; quo posito motus omnis in mutatione consistit. At non Hegelius in disquisitionem venit, Heraclitus autem qui quum cunctarum rerum fugam undis fluvialibus assimulabat, fugam illam nimirum transitus in modum interpretabatur, quod satis declarant verba illa, « nos scilicet nunquam in eumdem fluvium bis descendere. » Mutatur quidem unda, sed mutatur quia movetur, motusque, mutationis causa est. Videamus autem qua ratione rerum omnium conversiones fiant : mutari nempe accidit omnibus, quia semper loca mutanti, quia semper sursum deorsumve auferuntur. Huc accedit, si nulla foret diversarum rerum per diversa spatii loca translatio, mundum omnem quasi evanessere : fac enim localem motum revera esse nullum ; localis tamen motus species quædam humanis sensibus percipitur; speciem igitur hanc sequitur fictarum rerum esse imaginem, mundumque in inanibus

[1] Lassalle, *loc. cit.*, I, 128.

et inter se ludentibus totum consistere simulacris. Quod si naturam universam, ut vanarum imaginum conglobationem accepisset Noster, unde illi orta fuisset vis in eloquendo tanta, quoties universarum rerum irrequieta mobilitas ante sapientis oculos observaretur. Unde lacrymæ? unde fletus? unde tristitia mentem invasisset, si Xenophanis exemplo, sensuum testimonia quam maxime despiciens, unum esse τὸ ὄν ac prorsus immobile existimasset? Flevit autem Noster mortalium rerum instabilitatem ingemuitque rebus propterea quod, dum tempus irreparabile fugit, omnia secum rapit, res atque animantes nec quidquam vivere sinit quod non ex morte aliorum vitam exhauriat; nascentes enim morimur neque sola mortis effigies, sed mors ipsa vitæ magistra est.

At si perpetuo rerum omnium decursu nihil in mundo cernitur mutationis expers, mundus tamen æternus manet quem nemo Deorum procreavit neque hominum. Hæc autem æterna substantiæ natura, quæ si ad essentiam respexeris, immutabilitatem involvit, tristitiam philosophi nostri levare non poterat. Spinozam quidem novimus, Deo quasi inebriatum, perpetuam *modorum* evolutionem placido atque etiam læto conspicere animo; universo enim motu Divinam ostendi potentiam intelligebat; cur autem Ephesius cui fere eadem principia doctrinæ fuerunt (si veterem liceat recentiori componere sapientem) eamdem animi tranquillitatem nunquam præ se tulit, quum cuncta compererit divina solertia administrari? Nascebantur enim omnia, nataque simul illius ante oculos emoriebantur, quæ quum

adspiceret, in mœstitiam lapsus, disquisitionum immemor suarum de τοῦ ὄντος perfecta ratione, inexpletam dolebat igneæ causæ famem, rebusque illacrymabatur universo turbine abreptis. Rem sane mirandam! ignem statuit ut mundi genitorem ac conservatorem! hunc propter vitalem vim calidamque, veneratur qua vitam in naturam omnem motumque effundit; ordinem in omnibus rebus splendere iterum iterumque affirmat, imo etiam in illos invehitur qui malum ex Jove oriri posse conjiciant; nec tamen abstinet quin mortalium rerum miserandam sortem ipse defleat! Fuit igitur in Heraclito, hominem inter philosophumque discrepantia, nec potuit philosophus ægritudinem discutere hominis; ita sic enim Nostrum eloquentem Lucianus inducit[1] : « Quod nihil in rebus maneat mobilitatis expers ac mutationis, quod omnia semper alia cum aliis ut in poculo misceantur, quod idem sit dolere et gaudere, scire et nescire, quod idem magnum sit atque parvum, defleo et queror : omnia nempe temporis ludibrio data, continuo mutantur, aliaque in aliorum vicem succedunt. »

Ex his manifestum est eadem quæ meditabantur Orphici poetæ attentum philosophi nostri detinuisse animum. Illi quoque, ut omnium rerum hominumque raptorem, Tempus habebant; hoc vero Tempus in modum ignei principii motuque interno semper excitati concepit, igneumque illud universæ naturæ voluit esse genitorem; sed de his jam antea disseruimus.

[1] *Vit. Auct.*, 14.

Excepto igne, ut vidimus, nihil exsistit, omniaque ex igne constant, seu rarior, sive autem densa magis igneæ naturæ materia efficiatur[1]. A principio scilicet, quæ pars ignis pinguior est, in se contrahitur humidumque genus parturit; terra vero ex humido, quod mare factum est, orta, rursus igne expanditur, quod quum evenit, gignitur iterum unda; quæ satis valere credimus ad sententiam confirmandam qua ignem defendimus, sub quibusque rebus, substantiæ loco latere. Sed Plutarchus auctor est terram continuo ex igne natam in ignem continuo mutari[2]. Idem vero sibi ipse repugnat quum aerem ex igne fluere narrat, ex aere undam, terramque in locum succedere maris, quæ, ut opinor, e Plutarcho excerpta retulit ipse Simplicius[3], qui aerem vult a cæteris elementis apud Nostrum secerni. Quæ quum ita sint, suspectam in illis auctorum amborum fidem habebimus, ibimusque pedibus in Schleiermacheri sententiam, qui licet ætate nostra vixerit, conjecturam nihilominus probabilem cepit, aeraque conjecit non elementi loco apud Ephesium haberi. Primo enim in memoriam nostram revocabimus, elementa naturæ quatuor tunc primum ab illis cognita fuisse qui post Aristotelem philosophati sunt: adde quod aer natura est colore vacuus formaque, et propter hoc nullo sensu percipiendum; ignis autem oculis lucet, aqua manus pedesque humectat, terra prementi resistit, sua igitur cuique propria

[1] Cf. Diog. Laert., ix, 8. — Simpl., *in Phys.*, f. 6 a.
[2] Plut., *Placit. Philosoph.*, i. 3.
[3] Cf. Schleiermach., *loc. cit.*, p. 372.

facies et quam maxime sensibus est adspectabilis. Quidnam vero hoc Ephesius esse putavit quod inspirantes atque exspirantes humanæ nostræ vitæ cursum tenemus? Vapores scilicet animadvertebat nunc humidose terra, nunc siccos ex oceano manare[1] quorum ex duplici specie aerem, ut videtur, constare existimabat, neque illum arbitrabatur, in elementorum numero certam ac sibi propriam obtinuisse provinciam. Cæterum quid nos de *elementis* quæ fuerint apud Heraclitum loquimur? Elementum vero unum est, ignis scilicet, aut si vis corpus ætherium; ignem vero illum, qui flammeam speciem præbet oculis, aquam, terrenum denique genus vix elementa nuncupare queam; finita quippe natura nullis est corporibus, neque quidquam in mundo conspicitur quod finito vocabulo jure gaudeat, quare humidi generis terminos ne tu frustra quæsiveris, nec rogaveris ubi mare esse desinat, ubi terra. Mundus enim potioni cuidam, variis liquoribus effectæ, simillimus est, diversaque scimus in poculo admisceri. Ergo ne dixerimus adumbratam ab Ephesio fuisse physicorum elementorum rationem; quod si arbitraremur in errorem gravissimum incideremus; illud autem conjectare satis sit infinitas scilicet esse τοῦ ὄντος species atque formas, quarum in tanta multitudine, tres maxime, propter corporearum partium concretionem aut extenuationem, sensibus facile percipiantur, sintque ut vulgo satis aperte patet, ignis primum, aqua dein, postremoque terra. Nunc autem quo ordine nascantur ac pereant illa, videamus.

[1] Cf. Diog. Laert., ix.

Testis primum Olympiodorus est (a Zellero commemoratus [1]) emori animam quæ humida fiat, abolerique humorem quum in terram vertatur ; postea vero humescere terram, undamque ignescere. Item apud Clementem Alexandrinum [2] legimus, cui si fidem adhibemus, ignem docemur primum in aquam mutari, undamque in medietates divisam, terram fieri partim, partimque *presterem* ; ex quo satis constat humidum genus, medium inter ignem atque terram locum obtinere. Etenim ex concretione maris terra procreatur rursusque oritur ignis ex respiratione aquarum. Quemadmodum vero igneam naturam ex humida continuo fieri videmus, nonne aliquoties terram conspicimus incandescere nec prius humidam vestem induere, quam in igneam speciem convertatur ? Ac prorsus res ita sese habet ; quam quum cerneret Noster, sui ipsius forsitan immemor, *viamque sursum, deorsum* esse *viæ* simillimamoblitus, rei, qualis hoc tempore fuit sensibus objecta, mentionem potuit in scriptis habere. — At si habuisset, sibi ipsi repugnavisset ! — Quis vero est inter philosophos, apud quem repugnantia nulla cum principiis doctrinæ reperiatur ? Quocirca genuinum illud esse crediderim quod Maximus ut heracliteum retulit de terrestrium rerum in igneam materiam conversione [3].

At ne diutius heracliteo documento immoremur cui cum cæteris discrepantia quædam inest, monu-

[1] ZELLER, *loc. cit.*, p. 539.
[2] Cf. ap. MULLACH., f. 28, p. 318.
[3] Cf. MAXIM., *Tyr.*, XLI, 4.

menta complura exstare meminerimus quibus satis constet omnibus quæ motu auferuntur, motus ac conversionis ordinem semper in eodem habitu manere seu sursum, sive deorsum materia moveatur : quo dato, humidum genus ex igneo genere natum terrestribus rebus originem esse existimamus, quodque terra fuerit (omissis quibusdam exceptiunculis quæ, ut opinor, sapientem nostrum fefellere) idem in mare primum, postremoque in ignem reverti.

Sed, quum in mundo sine fine motus sit, unde quibusdam in locis quietem videmus aut stabilitatem apparere? Quantum sensus hominem decipiant Noster bene novit, atque etiam quomodo decipiant, et ipse quæsivit. Citatur enim Clementis Alexandrini [1] locus, ex quo eamdem esse patet mari latitudinem atque altitudinem postquam in ignem partim partimque in terram divisum fuit ; nam quum ignescebat unda, ignearum partium finitus numerus in undam mutabatur ; ac quum solidescebat eadem, mutabatur in aquam finitus terrestrium partium numerus. Illarum vero novarum partium quæ mari adveniunt numerus, numero veterum quam maxime adæquatur. Ergo semper eadem est undæ latitudo quæ quanta videbatur nuper, tanta nunc videtur atque in futurum videbitur ; materiæ quidem partes mutantur ac transeunt, pares autem semper mutatorum corporum portiones sunt, immobilitatisque species hominum effingitur oculis quod, quum omnia convertuntur, in eodem spatii loco,

[1] Apud Mullach., 29, p. 318.

iisdemque rationibus conversiones rerum eveniunt. Hujus vero si causam anquirimus, hæc nimirum conclusio nascetur, scilicet idem esse τὸ ὄν, seu ad essentiam, sive etiam ad mensuram respexeris; id enim *quale* modo erat, tale non est, *quantum* vero nuper fuit tantum est atque erit; nos igitur in indagandis philosophi nostri de natura rationibus argumenta possumus nova colligere, ad confirmanda illa, quæ de metaphysicis ut Heraclito probata fuisse, jam satis superque defendimus.

Ea nunc adeamus quæ de cœli cœlestiumque rerum natura videtur existimavisse. Quod ad cœlum attinet si quidem Laertio [1] credendum est, quanam ex natura constet, tacuit Heraclitus. Hoc vero Stobæi [2] citandum est, *Parmenidem sciilcet, Heraclitumque..... cœlum ut igneum duxisse.* Reperiuntur autem, cœlo scaphæ per concavum ad nos conversæ in quibus conglobantur puri incorruptique anhelitus; illis autem conglobatis, oriuntur flammæ, siderumque imaginem mortalium offerunt oculis. Lucidissima vero est et quam maxime sincera flamma solis, qui cæteris sideribus terræ propior adsit; illa autem qua longius a terra distant elucent minus, minoremque calorem emittunt. Luna tamen nobis sole est vicinior illique nihilominus calore et luce postponitur: luna enim propterea quod terris proxima est, per loca variis mixta materiis transit quæ illi lumen obscurant, at in illustri loco puroque collocatus sol, intervalloque a nobis aptis-

[1] Diog. Laert., ix, 9.
[2] Cf. Stob., *Eclog.*, i.

sime disjunctus, subjectas idcirco regiones magis calefacit et collustrat. Porro conversis sursum scaphis, sol lunaque deficiunt, lunæque nascuntur menstruæ figuræ dum illius scapha paulatim convertitur. Dies vero noctesque et menses, quadripartitæ temporum mutationes, imbresque et venti cæteraque hujus modi ex variis gignuntur anhelitibus; dies enim evaporatione liquida efficitur quæ in solis circulo ignescit[1] contrariisque factis oboritur nox. Noctu etiam sol nullus est qui quotidie novus exsurgit[2]; nec etiam uno die, sed ne uno quidem temporis momento manet idem, qui semper anhelitibus alatur, deficientibusque extinguatur anhelitibus; eadem scilicet nascuntur astra ratione[3], Orientis vero et Occidentis Ursa finis est, hic, sereno Jovi finis imponitur[4], finitamque esse hoc ipso sequitur omnium rerum universitatem[5]. Sed hæc hactenus.

Hæc vero majoris momenti quœstio sequetur, nec indigna prorsus quæ in disputationem veniat. Thales scilicet et Anaximander id ipsum elementum ex quo singula oriantur, idem ad universa non modo parienda, sed etiam abolenda valere asserunt; sic ex aqua omnia gigni, in aquam reverti omnia, sic ex Infiniti substantia proferri omnia quibus constet mundus, in eamdem substantiam eadem olim, mundo

[1] Cf. Diog. Laert., ix, 9-10.
[2] Cf. Arist., *Meteor.*, ii, 2, 355.
[3] Plut., *Placit. Phil.*, ii, 17.
[4] Strab., l. i, p. 3, éd. Casaub.
[5] Diog. Laert., ix, 8.

nempe sublato, reditura. Hæc rerum omnium, ut ita dicam, ad principia sua conversio, quo efficiatur, ut aliquandiu vacua omnino Naturæ scena pateat, hæc quam vocant stoici ἐκπύρωσιν, utrum fieri docuerit necne Heraclitus, nobis investigandum est.

Primum quidem, si summam rei inspexerimus, animus inclinat ut Heraclitum Thaletis et Anaximandri doctrinam hactenus secutum fuisse arbitremur, ut idem principium, eumdem quoque finem universæ rerum moli tribuerit. Si vero succurrit *Siculas Musas*, in *Sophista* qui inscribitur dialogo, quum alternis mundum vicibus exstingui et renasci doceat, ibidem contra Ionicos sententiam defendere, omnia coire [1] discedendo confirmantis, in aliquam profecto dubitationem inducemur. Si præterea meminerimus quid ipse Heraclitus de motu æterno censuerit, quo omnia auferantur abripianturque, qui convenit hunc ipsum motum, quasi exhausta materie incendium, resistere, qui non ita pridem adeo viguisset ut materiem viribus suis exercendis ex se ipso conflatam protulisset?

Schleiermacherus autem et Lassallius, τὴν ἐκπύρωσιν negant ex heracliteo fonte posse exoriri. Ille enim nequaquam aliter sustineri posse et integram defendi doctrinam τοῦ πάντα ῥεῖν intelligit : hic autem [1] aliis argumentis, quibus exponendis volumen impendit non modicum, eodem tendit. Si videlicet, ex quo igne universæ sibi res originem traxerunt, eodem olim universas rursus comburi ac consumi destinatum est, quo tandem pacto hunc ignem nihil

[1] Lass., *loc. cit.*, II, 126-241.

aliud quam imaginem esse nostris oculis ac sensibus accommodatam diutius crederemus? Qua ratione innixi contenderemus ita significari rem quamdam non oculis, non sensibus obnoxiam, quæ logici concepti nescio cujus, motum et rationem et processum interpretaretur? Quod si τῆς ἐκπυρώσεως doctrina ex heracliteo foco vere effluxerit, confitendum igitur est, sicut et nos agnovimus, in igni heracliteo non imaginis modo cujusdam, sed veræ etiam rei virtutem exsistere, quippe qui speciem semper novam induens, materie tamen constet immutabili. Namque si quis omnia putet igne combustum iri, idem necesse est existimet ignem non formam esse inanem, et cavam, ut dixerim, rei imaginem, sed contra omnium rerum, quæ una sit, materiem.

Quare mihi non alienum videtur laudare locos quibus explanetur philosophi nostri sententia, scilicet quæcunque in mundo appareant, ad pristinum elementum aliquando reditura, ut per certum sæculorum orbem, nulla alia res, nullo alio supersit adspectu quam igneo vel ætherio. Primum Aristoteles[1] *ὥσπερ Ἡράκλειτός φησιν ἅπαντα γίνεσθαί ποτε πῦρ.* Idem Aristoteles[2] refert Empedoclem et Heraclitum in hoc consentire ut *rerum universitas* nunc talis sit qualis esse nobis videatur, nunc autem *pereat* in novum continuo statum evadens. Nec idcirco infitias eunt quominus æterna sit rerum materies : sed earum speciem ac frontem immutari confitentur[3]. At-

[1] ARIST., *Physic.*, III, 5.
[2] ARIST., *de Cælo*, 10-279.
[3] Cf. ARIST., *ibid.*, p. 280.

que adeo hunc locum quo accuratius perpenderis, eo manifestius compertum habebis materiam illam de qua scripsit Aristoteles omnia olim flammis suis esse complexuram. Ubi enim ea quœstio agitur, num cœlum æternum sit an fluxum, Heraclitum Aristoteles atque Empedoclem numero eorum adscribit qui mundum modo æternum esse dixerint, modo fluxum esse confirmaverint, perinde atque omnia per quæ Natura oculis nostris illudit : ὥσπερ ὁτιοῦν ἄλλο τῶν φύσει συνισταμένων. Primum autem locum citatum verisimile est pertinere ad universum incendium, ut verbo ἅπαντα[1] declaratur. Apud Simplicium denique legimus fragmentum nostræ opinioni consentaneum[2] : ὅσοι ἀεὶ μέν φασιν εἶναι κόσμον, οὐ μὲν τὸν αὐτὸν ἀεί, ἀλλὰ ἄλλοτε ἄλλον γινόμενον, κατά τινας χρόνων περιόδους ὡς Ἀναξιμένης τε καὶ Ἡράκλειτος.

Diogenes quæque Laertius, quanquam testis plerumque non tam quam illi sunt locuples, idem tamen confirmat[3]. Mundum ait ex opinione Heracliti, et unum esse et terminis cirumscribi ; eumdem exigue ortum, secundum quasdam temporum conversiones igni redditum iri : Γεννᾶσθαί τε αὐτὸν ἐκ πυρός, καὶ πάλιν ἐκπυροῦσθαι κατά τινας περιόδους ἐναλλὰξ τὸν σύμπαντα αἰῶνα. Si novissima hujusce loci verba attente consideraveris, haud dubium est quin ad rerum universitatem pertineant.

Multa quidem alia veterum scriptorum testimonia succurrunt, quæ ne longiorem faciamus orationem,

[1] Cf. ZELLER, *loc. cit.*, p. 568.
[2] SIMPL., *de Cœlo*, 1:2, 6.
[3] DIOG., IX, 6.

silentio prætermittimus, neque ad illustrandam rem valere satis arbitrabimur. Plutarchi vero solius in medium proferemus locum ex quo Magni Anni mentionem constet, Heraclito fuisse habitam, qui annum hunc duodeviginti annorum millibus adæquandum esse censuerit, solstitiali orbe circumactorum[1]. Magni vero Anni spatium temporis vocabulo gaudet quod aboletas incensasque res interfluit, easdemque renovatas ad ordinandam naturam, ex ignea materie quasi emergentes. Ita enim censebant Stoïcorum illustrissimi, quorum si M. Antonino creditur, τῆς ἐκπυρώσεως doctrina, ex Ephesio fonte traxit originem.

Hæc, ut opinor, Heraclito in mentem veniebant quæ dicenda putaret de gignendis rebus atque abolendis. Quod quidem intelligitur specie sola[2], cum doctrinæ fundamentis repugnare, si revocatur in memoriam τὸ « πάντα ῥεῖ » ad sensilia modo pertinere; fluxum enim omne est quod sentitur, ac quia fluxum, morti obnoxium. Jam vero, in hoc ornati quem conspicimus mundi statu, viventia mortuis, mortuaque viventibus effluunt, nec mirum; ignea scilicet materies, quasi esuriens, novæque semper induendæ vestis avida, res atque animantes inexpleto ardore parturit donec satietur : mox enim satietas famis exceptura vices, impatientiamque Jovis placatura, res omnes quæque in mundo ut singulæ conspiciuntur, quin rursus moveantur mutenturque prohibebit; tum igitur machina mundi consistet, mo-

[1] Plut., *Placit. Phil.*, 22-33.
[2] Arist., *Met.*, I, 6.

tuque abolito, diversarum rerum multitudo evanescet. His satis cognitis, non Empedoclem ut adversarium doctrinæ Ephesio diutius opponere docet. — At hic quantum ab illo distet monstravit ipse Plato! — Nos autem quoniam contra Platonem dicere non dubitamus, qui verum invenire volumus, idque summo studio conquirimus, etsi Platonis auctoritatem pro nulla ducere gravissimum est, et quam maxime reprehendendum, illius in dictis obscuritatem esse contendimus, nosque ad dubitandum adduci, num Heraclitus solus in *Sophista* agatur. Laudato enim in loco nutu ac significatione Heraclitus appellatur, nomine autem minime; *Jades* vero Musæ illæ qui Ephesio sapienti adfuerunt, hujus non modo sed etiam discipulorum mentem afflare potuerunt, discipulosque scimus paulum a magistro ita deflectere ut heraclitea placita in universum flumen quasi tota demerserint. Hos scilicet Platonem audivisse novimus auditosque, ut præceptores repudiavisse illos, qui e sapientissimo viro profecti sapientiam hujus in subtilitatem immutavissent. Aristoteles autem heracliteos fontes videtur accessisse, veramque Ephesii rationem inspectam habuisse, qui eadem Empedocli visa fuisse asserit quæ fertur Heraclitus de futuris universarum rerum disseruisse incendiis. Ergo Aristotele duce liti finis imponatur.

Quæ quum defenderimus, Ephesium concesserimus, si recentioribus placet, nulla necessitate adduci ut ordinatis rebus futuram universamque ruinam præsagiat : Jovem enim esurire volumus, atque ad explendam famem divinam sui texturam iterum atque iterum intexere; at quæ causa est cur exsatie-

tur ? — Rogatus autem Heraclitus responsum nullum daret, ut opinor, admiraretur que forsitan sibi ipsi sese repugnantem! — Repugnantia vero nulla est, motus enim non *efficientem* modo, sed providentem atque ut dixerim, *finalem* causam requirit; atqui motus suimetipsius finalis esse causa non potest, moventurque res ut exoptatum quid accipiant, quo accepto, sublata omni movendi causa, moveri desinunt. Motu igitur, ad motus cessationem tendit, similique modo esuriem ad satietatem vergere affimabimus. Hoc quin plane intellexerint ac mente comprehensum Ionici physici tenuerint, asserere non audeam; mundum tamen alternis vicibus nasci abolerique conjecerunt fere omnes ; hos igitur *pantheistarum* licet vestigiis insisterint, *pantheistarum* nomine appellandos esse non arbitror; hæc enim apud illos natura, quam naturatæ vocabulo Spinoza nuncupabat, naturanti coæterna non est. Accidentia quippe substantiæ contingunt, nulla autem necessitas cogit ut in æternum illa sensili sub tegumento lateat. Huc accedit, in pantheistarum ratione, Deum ut sui conscius fiat, in genitis rebus se ipsum, ut ita dicam, contemplari; aliter vero censebat Heraclitus qui ignem, abolita sensilium universitate rerum, et, quasi se ipso contentum, quiescere asserebat, quæ quum meditaretur, Deum a mundo natura prorsus esse diversum, licet inscius, opinabatur.

CAPUT VI

QUÆ FUERINT HERACLITO DE HOMINE — DE COGNITIONE — DE ANIMA — DE DEO — DE MORIBUS — INSTITUTA.

Nunc consideremus quid de homine senserit Ephesius, necesse est quum ex hujuscemodi cogitatis, omnibus qui ante illum floruerant, altissimo ingenio Nostrum præstitisse videatur. Primo vero hominem docet corpore et animo constare; corpus autem per se rigidum est ac vitæ prorsus expers; quare post mortem, cadavera, magis quam fimus, procul ejicienda sunt[1]; sed dum inest corpori animus universi ignis particeps, homo fit qui mentem habet igneo fonte exhaustam. Is autem ignis animorum est qui purissimæ persubtilisque sibi materiei tenorem servavit, divinæ illi naturæ proximus, quæ mundum ratione penetrat, universasque res circumdat et quasi cingit[2]. Est enim splendidissimo

[1] Plut., *Sympos.*, IV, 4, 3, 6.

[2] Cf. Sext. Emp., *adv. Mathem.*, VII, 127.

nitore circa mundum elucens circus, æterni, ut opinor, Jovis altissima domus : hic sedet omnium rerum parens, hic etiam mortalium futuræ servantur animæ, donec lapsæ deorsum, corporis ad animandas partes, ut ita dicam, descendant. Quæ quum terram inviserunt, corpora introgrediuntur, illisque vitam, motum, cogitationemque afferunt : anima enim quum vitæ, tum etiam scientiæ principium est.

Sed quo mortalibus pacto scientia communicari valet quum nihil exsistere pateat quod non perpetua circumactione trahatur ac mutatione? Nullam quippe fluxorum esse scientiam antiquissimi philosophorum semper intellexerunt. Quid vero? Nonne Protagoram traditur e physica Heracliti disciplina profectum esse? Protagoras autem nihil esse nisi motum infinitamque rerum mutationem prædicabat, itaque manifesto scientiam esse nullam contendens, hominem rerum omnium quasi mensuram esse defendebat. Quæ si probavisset Ephesius, non philosophi sapientisque nomine gauderet, at philosophiæ potius detrectator jure appellaretur.

Ex sensu quidem homini cogitatio fit; quomodo enim sensilis, ut ita dicam, naturalium rerum contemplatio ad cognoscendum minime valeat, ubi nihil in natura quod sine materia sit speculantibus appareat? Atqui materia sensibus subjecta est; ergo scientia omnis in sensu collocanda est. Hoc vero quod totum sensile habetur incertam sui notionem affert cogitantibus; quæ quum admiseris principia unde traxit sententiam Protagoras, non modo non eam quæ vulgo vocatur scientia, exsistere posse

fatearis, sed ne hunc quidem sensum quem in loco scientiæ sophista collocaverit.

Nunc autem quærendum est utrum ex heracliteo foco, necne, manaverit Protagoræ sententia. Ac primum, ad nos certa pervenisse documenta dicamus unde illud nobis explanetur quod de *communi ratione* Noster existimavit ; suam enim totam exstruxit doctrinam Heraclitus, ut omnia quæ in mundo fiunt, divina ratione administrari ostenderet atque patefaceret. Rationis autem proprium est cuncta ordinate gignere et componere ; qui vero præstantissimam in rebus sapientiam apparere noverunt homines nisi sapientiæ hujus in societatem natura accesserint? Rationis igitur facultatem homini esse credendum est, quod satis declarant verba illa : *Τοῦ λόγου τοῦδε ἐόντος αἰεὶ, ἀξύνετοι γίνονται ἄνθρωποι... Γινομένων γὰρ πάντων κατὰ τὸν λόγον τόνδε...* [1] Ex his concluditur hominem, etsi ratione non utatur, rationem hanc sibi ingenitam in animo habere, alioquin sibi ipsi videlicet Ephesius adversaretur, quum sic loqueretur : *Διό δεῖ ἕπεσθαι τῷ ξυνῷ* [2]... — *Οὐκ ἐμεῦ ἀλλὰ τοῦ λόγου ἀκούσαντας ὁμολογέειν σοφόν ἐστι* [3], *ἓν πάντα γίνεσθαι.* Nunc autem videamus quo pacto, divinæ rationis particeps homo fiat : hanc scilicet Noster in intima pectoris nostri per inspirationem descendere arbitrabatur : etenim quum respiritu [4] pulmones sese dilatant, vitalem auram in se trahunt divinumque

[1] Cf. Clem., *Strom.*, v, 14. p. 716.
[2] Sext. Emp., *adv. Math.*, vii, 133.
[3] Hipp., *Hæres Ref.*, p. 280.
[4] Sext. Emp., *adv. Math.*, iii, 127.

exhauriunt spiritum. Deus autem vitæ sator est atque rationis, quocirca non modo vitam, sed etiam cogitationem et scientiam mortalium generi communicat : vigilantes vero quam dormientes, divinæ menti propriores adsunt, qui mortuis simillimi [1], omnique sensu prope destituti, a se ipsis, ut dixerim, abalienantur rationisque beneficio quasi intercluduntur. Qui igitur sensu careat eumdem necesse est, careat scientia, careat omni cognitione : quo porro modo scientiam negaverimus in sensu positam esse? aut quomodo Protagoram contenderimus suppositi magistri disciplinam in deterius mutavisse?

Protagoras quidem, quum sibi assumpsit opinionem eorum, qui propter mobilitatem perpetuam, infinitamque rerum universarum varietatem quidquam esse immotum negaverant, omnia fieri nec quidquam revera exsistere falso arbitratus est : idem etiam heracliteum ignem qualem magister esse statuerit, non plane videtur intelligere. Sic enim homo perinde disputat, ac si fictarum fluentiumque rerum simulacris constaret tota mundi universitas. Jam vero notum satis est ac perspicuum, quas scilicet ut singulas res agnoscimus, eas ex Ephesii sententia, τῷ ὄντι accidentium, ut ita dicam, loco contingere; quarum etsi nulla valeat cognitionem sui certam ac finitam intellectui nostro præbere, non inde sequatur vanos prorsus esse atque inanes scientiam persequentium conatus. Supra enim ea quæ tactu attinguntur aut visu, immutatam recordari decet

[1] Clem., *Strom.*, iv, 22.

τοῦ ὄντος esse naturam, quæ semper ætheriam motricemque essentiam sibi vindicet. Hæc autem essentia, quæ sensus nostros natura prætervolat, quonam modo aliquam sui notitiam mortalium animis poterit suggerere? Nempe oculorum auriumque ministerio. Sic enim ad scientiam Heraclitus esse nobis aditum arbitrabatur, ut sensuum auxilio, ad certæ scientiæ limen omnes adduceremur. Quid vero! oculis auribusque quam maxime confidendum est; at, si confidendum, homo rerum omnium mensura, jure vocabitur?

Equidem fatebor quæstionem hanc magna ac diligenti contemplatione dignissimam esse; sed in tanta documentorum paucitate, quid vere senserit Ephesius, conjectura solum assequar. Modo enim aurium oculorumque laudat auctoritatem, et ea cæteris anteponenda censet quæ cernuntur, audiuntur et discuntur[1]; modo oculis multum vero auribus, parum fidere videtur[2]; modo, malos esse testes oculos auresque prædicat hominibus barbaras habentibus animas[3]. Quæ autem lux orietur ex his inter se discrepantibus?

Primum vero ne illud obliviscamur, rationem scilicet homini adesse, quæ, licet in principio, nubibus obvoluta sit, non adeo tamen mortalium generi occultatur ut, discussis quibus tegebatur tenebris, in claram lucem non resplendeat. Lux autem eo clarior efficitur quo major est in sensibus sagacitas

[1] Hipp., *Hær. Ref.*, p. 281.
[2] Cf. Polyb., xii, 27.
[3] S. Empiric., *adv. Math.*, vii, 126.

quædam ac diligentia; quare fidissimi testes sensus habebuntur, dummodo barbariem humana nostra mens totam exuerit, unde satis liquet sagacitatem illam, et in percipiendo diligentiam, non tam ex sensuum quam ex animi nostri pendere arbitrio. Ergo quamdam externarum rerum mensuram inesse nobis opinabimur, mensuram vero hanc non sensu modo sed etiam ex animo aut, si vis, ratione oriri; atqui rationem constat omnibus esse communem; communis igitur omnibus hominibus esse debet cunctarum rerum mensura. Quæ si non alio modo Protagoras intellexisset, certæ ac veræ scientiæ locum assignavisset; is vero homines ita constitutos esse natura defendebat ut, omni ratione carentes, singula quæque, utpote sentirentur, pro veris agnoscerent. Quæ quum ita sint, Protagoram constat suam Heraclito subripuisse vestem et calceamentum, quæ quum subrepta, suo modulo ac pede metitus est, se ipsum falso crediderit heracliteorum institutorum esse mensuram.

Videamus nunc de humani animi principio et exitu. Atque, ut de principio loquamur, sententiam quæ Nostro visa fuerit his verbis novimus esse ab Aristotele explicatam : καὶ Ἡράκλειτος δὲ τὴν ἀρχὴν εἶναί φησι ψυχήν, εἴπερ τὴν ἀναθυμίασιν, ἐξ ἧς τἆλλα συνίστησιν· καὶ ἀσωματώτατον δὴ καὶ ῥέον ἀεί· τὸ δὲ κινούμενον κινουμένῳ γινώσκεσθαι[1]. Hunc scilicet aristotelicum ad universi mundi animam pertinere locum non

[1] Arist., *de Anima*, I, 2.

negabimus; animam vero illam quæ humanis corporibus vitalem motum affert, ex universarum animarum foco oriri constat; animæ enim sursum feruntur ac deorsum, mutationibusque perpetuis obnoxiæ in corpus e cœlo quasi dejiciuntur, ibique non modo circumactionem sed etiam conversionem patiuntur[1]. Quæ vero causa est cur sideream sedem aspernatæ in inferiores locos auferantur atque abripiantur; nempe quia, præstantissimi Jovis exemplo, fame laborant, novasque invisendi regiones cupiditate accenduntur.

Sed ubi animus humani corporis materiam omnem penetravit, ne deformetur cavendum est, ac divini ortus immemor humidam speciem induat. Animus enim ex siccis anhelitibus constat qui ex igneis universæ vitæ fontibus manant, atque illi sapientissimam[2] prudentissimamque naturam informant; illi vero periculum nascitur ex societate corporis. Nam ubi corpus, ibi materia invenitur variis concreta partibus, quarum permixtione efficitur, ut suimetipsius oblita, rationis illa natura, totam sese tradat pessimarum cupiditatum ludibrio. Hunc enim hominem conspicere tibi licet qui ebrius titubat duciturque ab impubere puero, quorsum eat ignarus[3]; illi nihil sibi agendum aliud proponit, nisi ut vitam mediocrem agat, moriaturque postea, morituros filios relicturus[4]. Hic semper cupiditatis explendæ

[1] Stob., *Ecl.*, i, 906.
[2] Clem. Alex., *Pædag.*, ii, 156. — Stob., *Floril.*, v, 120.
[3] Stob., *Floril.*, v, 120.
[4] Clem., *Strom.*, iii, 3.

causa irascitur, sese quod cupit anima sua empturum esse nesciens[1]; ille, nec audiendi nec loquendi peritus[2], ac surdis quam maxime comparandus[3], sapientes non unquam potest ab insulsis hominibus discernere[4], neque hominum, neque deorum vocem interpretatur[5], omnes quos non agnoscat[6], exemplo canum, latratu excipiens. Hanc porro deformitatem animi, Ephesius noster persæpe deflebat, hominemque hortabatur ut ingenitæ sibi sapientiæ attentam aurem præberet, neque nimis arroganter de se judicaret. Imo etiam, socraticum hoc τὸ γνῶθι σεαυτόν, multos ante Socratem annos ut certam bene regendæ vitæ regulam habebat; seque rem magnam gessisse arbitrabatur quod *se ipsum*, ut dixisse fertur, *quæsivisset*[7].

Congrueret vero cum cæteris Ephesii placitis, omnia quæque Deo placuerint læto animo tolerare, neque inanibus erga homines, quæstibus indulgere; errare enim et ignorare humanum est; at quum erramus, id Deorum meminerimus beneficio accidere, vitiumque recordemur ad ornati mundi conferre pulchritudinem. Omnia enim Deorum voluntate eveniunt, quorum sententia, nihil quod non justum aut pulchrum sit, licet injustum homini videatur, potest in rerum universitate fieri. Ita

[1] Arist., *Ethic. Eudem.*, II, 7.
[2] Clem., *Strom*, II, 5, p. 442.
[3] Theodoret, vol. IV, p. 712, éd. Hal.
[4] Cf. Plut., *De aud. poet.*, c. 8.
[5] Orig., *Cont. Cels.*, VI, p. 698.
[6] Plut., *An sit sen. ger. resp.*, c. 7.
[7] Plutarch., *adv. Colot.*, 20.

quidem *pantheistam* eloqui decebat; in his autem solum quæ ad metaphysicam τοῦ ὄντος essentiam spectant, pantheistæ cujusdam agnoscimus Nostrum suscepisse partes; quoties vero ad humana respicit, eumdem miramur substantiam hanc quam nuper universis rebus unam esse dictitabat, quasi lacerare, humanorumque animorum revera per se exsistentium distractione, e substantia una, diversarum substantiarum, ut dixerim, pluralitatem exprimere. Existimabat enim veram sinceramque immortalitatem mortuorum animos esse consecuturam, neque in hunc locum unde originem traxit, deserto corpore, rursus exceptum iri. Quod si ad fontem igneum nostra mens esset reditura, hoc ipso conscientiam ac distinctam suimetipsius cognitionem exueret; quod quidem metaphysicis heracliteæ disciplinæ rationibus plane concineret. Heraclitum autem alio modo disseruisse patet, nisi ut incertæ fidei, documenta illa rejecerimus quæ de animorum exitu Plutarchus, Clemens, Theodoretus Hippolytusque ut heraclitea tradiderunt. Hæc enim apud Plutarchum legere est : καὶ καλῶς εἶπεν Ἡράκλειτος ὅτι αἱ ψυχαὶ ὀσμῶνται καθ' ᾅδην [1]. Hæc autem ex Alexandrino deprompta majorem vim habere existimamus : Ἐὰν μὴ ἔλπησθε, ἀνέλπιστον οὐκ ἐξευρήσετε ἀνεξεύρετον ἐὸν καὶ ἄπορον [2]. Nec in dubitationem venit quin τὸ ἀνέλπιστον illud ad animorum immortalitatem pertineat, quum apud Theodoretum legerimus [3] :

[1] Plut., *De fac. in orbe lunæ*, c. 28.
[2] Clem., *Strom.*, II, 4, p. 437.
[3] Theodoret, v. IV, p. 913, éd. Hal, — Clem., *Strom.*, IV, 21.

ἐκεῖνο δὲ τοῦ Ἡρακλείτου μάλα θαυμάζω, ὅτι μένει τοὺς ἀνθρώπους ἀποθνήσκοντας ὅσα οὐκ ἔλπονται οὐδὲ δοκέουσι. Item apud Alexandrinum : *μόροι γὰρ μέζονες μέζονας μοίρας λαγχάνουσι καθ' Ἡράκλειτον*[1]. Edocemur tandem ab Hippolyto quis eorum status futurus sit qui, ut opinor, egregie factis aut dictis, bene de Deo meruerint, quod satis hoc declaratur : *ἐνθάδε ἐόντι ἐπανίστασθαι καὶ φύλακας γίνεσθαι ἐγερτιζόντων καὶ νεκρῶν*[2].

Quæ quum legerimus, ea non tam philosophum quam vatem aut etiam sacerdotem redolere arbitrabimur ; nec mirum. Ionici nempe physici theologos inter ac vere philosophos medium affirmaverim locum obtinere qui quum de natura deorum meditantur, non elementum modo aut materiam principem ante natum mundum, divinæ loco naturæ statuunt, sed etiam numina quædam esse suspicantur, quæ licet ex illa materia orta quæ universis rebus una materies est causaque, humanum tamen genus sapientia exsuperant ac virtutibus ; nec aliter crediderim Thaletem censuisse philosophum qui naturam omnem Diis ac dæmonibus impleverit. Eadem videtur Ephesius de Diis existimavisse qui non solum præstantissimi Jovis, sed etiam Dionysi et Apollinis mentionem persæpe in libro fecerit, neque per ludibrium illos, venerationis autem causa nominaverit. Sic enim de Jove locutus esse traditur : *Quod*[3] *unum sapiens est solum Jovis nomine appellari potest et non potest*. Jovem enim diver-

[1] Clem., *Strom.*, IV, 7.

[2] Cf. Hipp., *Hæres.*, p. 283. — Bernays, *Mus. Rhen.*, IX, 245.

[3] Clem., *Strom.*, V, 14, p. 718.

sissimis quibusque vocabulis gaudere jam antea vidimus. Quoties autem de Sibyllæ oraculis sententiam enuntiat, eadem erga Deum videtur mentem subire veneratio. Quæ quum ita sint, Ephesium conjicere nolumus, Xenophanem in illis prosecutum fuisse, quæ ad deridendam atque evertendam religionem eleaticæ parens philosophiæ disputaverit; Ephesius enim religioni non adversatus est, at potius eam immutare voluit et emendare, qui dierum fastorum et nefastorum distinctionem[1], statuarum et simulacrum reverentiam[2], sacrificia omnia[3], impudentissimas denique pompas in Dionysiis celebratas reprehenderit[4].

Proximum est ut de Jove, quæ illi natura sit videamus. Primo vero, universi motus originem illi inesse meminerimus qui vitalem vim ac motricem rebus communicet atque animantibus; eumdem quoque recordemur animantem natura esse naturaque animatum, qui pulsu interno semper agitatus genitas res perpetua circumactione auferat; qui quum movetur, movetur ipsa totius universi moles quam nuper ostendimus a Deo ipso, si ad essentiam respexeris, secernendam non esse. Sit igitur Jupiter universi mundi causa et substantia; omnia enim quæ sunt et moventur, in illo sunt, vivunt, moventur

[1] Plut., *Camill.*, 19.

[2] Orig., *Cont. Cels.*, vii, p. 738.

[3] Elias Cret., *ad Gregor Nazianz. orat.*, xiii. — Ap. Zeller, loc cit., 594.

[4] Clem., *Cohort.*, c. ii, p. 30.

neque quidquam efficitur, quod non e divino foco traxerit originèm. Ignis quippe, natura non solum princeps, sed etiam Jupiter ac Deus jure vocabitur, qui genitarum rerum auctor ac conservator nec immerito sit habendus ; nam si oculos huc atque illuc conjecerimus, ordinate fieri cuncta mundumque providentia administrari compererimus. Insanis igitur liceat, ordinem hunc negligere neque multo secus de perfectissima Jovis existimare sapientia, ac si puerorum instar Ævum jocaretur et quasi calculis ludens delectaretur[1]. Quod quidem recte sentiendum foret atque affirmandum, si multa fortuito evenirent atque, ut exemplo utar, si fines suos aliquoties sol transgrederetur[2]. Sol autem, ut cuncta quæ nascuntur et vicissim corrumpuntur, intra fines suos una semper eademque via justum cursum peragit, Furiarum nempe timidus, quæ semper assident, divinæ justitiæ adjutrices[3]. Quæ autem in rebus possit injustitia fieri, quum ne Jupiter quidem ineluctabili fato liber sit ? igneam enim materiem, quam *corpus ætherium*, Plutarcho duce, appellavimus, non submissam esse fato, sed ipsi fato coæternam esse constat, atque, ut dixerim, *consubstantialem* ; quocirca, heracliteum illud esse arbitror quod de Jove prædicabant Stoïcorum illustrissimi philosophorum, quem « Jussisse semel, et parere semel » arctissime contendebant. Heraclitus enim in eorum sapientium

[1] Hipp., *Hær. Ref.*, p. 281.
[2] Plut., *de Exsil.*, c. 11.
[3] Plut., *ibid.*

cœtu ab antiquis scriptoribus collocatur, qui omnia censuerint ita fato fieri ut id fatum universis rebus vim necessitatis afferret[1]. Ne vero illud obliviscamur, cæci numinis instar heracliteum fatum debere non intelligi, qui non solum animatam sed etiam rationalem naturam habeat justitiæ amantissimam. Hoc scilicet proprium ac peculiare est Heraclito nostro, quum ita divinam præstantissimi Jovis naturam constituerit ut in illa non potentiæ modo, sed etiam solertiæ excellentis ac prudentiæ fontem originemque locaverit, materiam quidem igneam universis rebus principii loco assignaverit, materiam vero hanc non solum substantiæ cujusdam instar, sed etiam Dei vivi atque absconditi conceperit, et ignem statuerit quum vitæ ac motus, tum etiam rationis ac justitiæ genitorem.

Restat ut quæ nostro de moribus comprobata fuerint paulisper inspiciamus. Ac nos in primis Theodoreti[2] locum hunc, ut maximi momenti laudabimus : ἀντὶ γὰρ τῆς ἡδονῆς εὐαρέστησιν τέθεικεν, ex quo manifestum est, quod ultimum sit rerum appetendarum, id ab omni voluptatum genere segregari ; nihil enim voluptate mutabilius[3] est ; firmum vero et inconcussum manet moralis scientiæ fundamentum. Leges quidem sibi homines constituerunt,

[1] Cf. Laert., ix, 7. — Stob., *Ecl. phys.*, 58. — Plut., *Placit.*, i, 28. — Cicer., *de Fato*, xvii.

[2] Theodoret, T. IV, p. 984, éd Hal.

[3] Arist., *Ethic. Nicom.*, x, 5.

quid agerent aut statuerent, imbecillorum more nescientes[1]; imprudentes autem egerunt; omnes enim quibus erigi possit ac sustineri civitas, leges, una lege divina inniti debent[2], quam ubi mente conceperimus ut veræ lætitiæ fontem, sereno animo, et ipsi nos debemus accipere. Hoc scientiæ principium, hæc etiam origo virtutis est : nam qui recte sapit, is vitam servat errorum liberam et cupiditatum. Quare docilem decet ingenio suo quemvis, aurem admovere, quod quum studiose audiverit, quasi sapientissimo numine afflatus[3], justitiæ semina, ex intimo pectore quasi exhausta in mores suos emittet. Quantulus autem Ephesio videretur istorum esse numerus, qui voluptatem veris animi gaudiis anteponant, diximus alio loco ; quæ si recordamur, ea philosophi nostri placitis agnoscemus esse consentanea quæ de unius viri principatu, nec ambiguis verbis, prædicavisse fertur. Ephesios enim reprehendebat quod sodalem suum Hermodorum civitate expulissent atque ejecisent ! Imo etiam, illos ut morte dignissimos detestabatur, quia neminem in civitate cæteros antecellere noluissent[4]. Ergo condendæ reipublicæ præerunt delecti inter omnes excellentissimi ; populus vero, conditarum legum observator diligentissimus, pro lege non secus ac pro muro pugnabit[5] ; ubi contumelia cui

[1] Hipp., περὶ διαίτης, l. i.
[2] Stob., *Florileg.*, iii, 84.
[3] Stob., *Florileg.*, c. iv.
[4] Cf. Diog. Laert., ix, 2
[5] Cf. Diog. Laert., ix, 2.

dam afferetur, contumeliam hanc citius quam incendium exstinguet[1], vehementes irati animi motus compescet, neque hunc aut illum, sed communem omnibus rationem, admiratione aut veneratione prosequetur[2]. Nunc igitur satis aperte constat æterni cujusdam boni doctrinam ab Ephesio esse adumbratam, qui veram a falsa felicitatem seposuerit summamque virtutem in sola ratione posuerit.

Ea sunt quæ de Heraclito philosopho nobis in conjecturam veniebant, quæ quum meditaremur, quorum in genere institutorum Heraclitea placita collocari deceret, sæpe huc atque illuc animum volventes, anquirebamus. Est enim antiquissima recentioribus consuetudo interpretibus suum philosopho cuique sedem adsignare, seu materiam, omissa mente, cunctis rebus causam esse voluerit, seu mente una universam rerum molem agitari existimaverit, sive etiam non modo mentem unam quæ Deus sit, mentes vero complures a Deo creatas et genitas esse defenderit. Quartum denique genus eorum est quos *scepticos* appellamus quique de rebus omnibus dubitantes sibi placent. Conversus autem ad Heraclitum, quonam in loco sedeat, suspicari vix audeam, qui, igneæ materiæ exemplo, hujus nunc vocem resonet, illius vero nunc perso-

[1] Cf. Diog. Laert., ix. 2.
[2] Hipp., *Hær. Ref.*, p. 280.

nam agere videatur; nihil enim materia vacuum exsistere arbitratur, materiam autem illam Divina censet mente penetrari ; nunc cuncta defendit ineluctabili necessitate fieri malumque negat in mundo evenire ; nunc rerum hominumque miserias dolet mortaliumque contra stultitiam ita accenditur ut hominem credas suimetipsius esse compotem, fatisque voluntatem esse avulsam. Quid plura ? Num igitur mirandum erit Heraclitum sibi interdum contradicere qui non tam, ut credibile est, doctrinam partibus inter se cohærentibus exarandam sibi proponebat, quam ut Sapientiæ hujus ac perfectissimæ Solertiæ divinum opus celebrandum, qua semper agente mirabilis omnium rerum et insignis earum quæ in mundo sunt pulchritudo luceat splendeatque ? Omnia vigent, calent, omnia ordinate gignuntur et efficiuntur, omnia denique Deo plena sunt ac referta ! totus scilicet in his Heraclitus.

Quod ad eos attinet qui in Hegelianis deambulantem hortis Heraclitum somniaverunt, somnium istud concesserim nec usitatum esse neque etiam injucundum : somnium vero est. Neque etiam illis fidem adhibendam esse existimabimus qui heracliteam disciplinam, qualem sophistæ deformaverunt, ut integram accipiant. Etenim si vixisset Noster ea tempestate qua pessimum mentis venenum ingenuæ Atheniensium juventuti Protagoras afferebat, Protagoramque audivisset sese ab Ephesio proficisci dictitantem, librum suum, ut opinor, ex mortalium manibus eripuisset, ereptumque in Artemidis templo

non modo positum sed etiam absconditum æterna humani generis oblivione obruisset[1].

[1] Jam opusculum nostrum typis mandabatur quum ex Britannia venerunt Heracliti Ephesii reliquiæ, a Bywater, collegii exoniensis socio, cum attentissima cura collectæ. Librum hunc perlegi nec quidquam in illo reperi quod non sententiam nostram de Heraclito Ephesio confirmaret. In serie fragmentorum quidem duo nunc demum apparent nec amplius, neque cum cæteris repugnantia, neque etiam novi aliquid ad illustrandam viri doctrinam afferentia.

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. non. Jun. MDCCCLXXVII.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi
Decanus,
H. WALLON.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis rector,
A. MOURIER.

INDEX CAPITUM

VERSALIIS. — EX TYPIS CERF ET FILII, 59, VIA DICTA DU PLESSIS.